

90(K)

D I S P V T A T I O
CONTINENS
**NOTITIAM SAXONIAE
SVB CAROLO MAGNO**

Q V A M
A V C T O R I T A T E
AMPLISSIONI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
DIE SEXTO MAII ANNI MDCCCLXI.
AD IMPVGNANDVM PROPOVNNT
M. CAROLVS RENATVS HAVSEN
L I P S I E N S I S
E T
CHRISTIANVS GOTTFRIDVS MEISNERVS
GORLIC. LL. CVLT.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

Coll. diss. A
243, 6

A. 243, 6

3. J

G. D. Enden 6.

COLLECTA
BIBLIORUM
SCIENTIARUM
HISTORIARUM
ARTIS
MUSICAE
PHYSICARUM
ETC.
IN LIBRARY OF
THE UNIVERSITY OF DRESDEN
BY
DR. ALEXANDER
SCHLESINGER
PROFESSOR OF
PHYSICS
AND
HISTORIAN
OF SCIENCE
AND
ART.



SERENISSIMO PRINCIPI
FRIDERICO CHRISTIANO
PRINCIPI REGIO POLONIARVM,
ELECTORATVS SAXONICI
HAEREDI REL. REL.

D O M I N O
OPTIMO INDVLGENTISSIMO QVE
S A C R V M

ІНІСІЯ · ОМІЗЕИЯ
ОНАГСІЯ · СІРІДІЯ
ІМЯЛІОЛІ · ОІДІ · ІНІІЯ
ДІСІСІА · АУІСІА
ДІІ · ДІІ · ІСІІА

О И І М О КІ
АУІСІА · ІНІДІГІСІА · ОІІІ
ДІІ · ДІІ · ІСІІА

PRINCEPS SERENISSIME,
DOMINE INDVLGENTISSIME!

Quamquam multis iure temerarium vi-
deri poterit, me, TVAE Celsitudi-
ni commentariolum offerre eruditio-
ne profecto non conspicuum, sed qui,
si aliquam, tantum ab eo habebit commendationem,
quod in illo res gestae gentis sint pertractatae,
quae ab omnibus reliquis pro nobilissima sapien-
tissimaque et habita fuit, et habetur: tamen excel-
lens ille amor, quo litteras dignari, atque vere
Regia benevolentia, qua earum cultores amplecti-
soles, ab omni suspicione temeritatis me libera-
bunt. Nisi tamen aliae aeque grauissimae caussae
accederent, profecto diu multumque dubitassem.
Cum vero TVA Celsitudo parentem meum Chri-
stianum Augustum, Professorem olim in hac Aca-
demia Matheos, tot et tantis beneficiis ornaue-
rit, quibus pro dignitate praedicandis, impar di-
cendo sum, cum post eius mortem me infantulum
afflictum atque omnibus vitae praesidiis nudatum
erexerit, cum mibi, ut litteris me consecrare pos-
sem,

sem, Regio succurrerit beneficio: Pietas et gratissimi animi significatio postulauerunt, ut palam testarer, me nulli mortalium plus debere, quam **TVO** Celsissimo Nomi. Gratulor mibi, et mecum sibi gratulatur omnis Saxonie, talem sibi contigisse Principem, cui curae cordique est salus et felicitas ciuium, et ardentissima vota, quae quotidie immortali Deo soluo, nunc vero solemniter et palam repeto, meis addit: Seruet TE, Princeps Indulgentissime atque Optime, Summum Numen per annorum multorum spatia saluum incolumentque. Ita florebit patriae felicitas, stabit firmus stabilisque honor academiis, ita manebit certissimum configium miseris et afflictis. Seruet Celsissimam Coniugem, quam omnes venerantur et pie colunt. Tueatur denique reliquam Celsissimam Domum in cuius incolumentate et nostra, et posterorum spes atque felicitas posita est

SERENISSIME PRINCEPS

INDVLGENTISSIME DOMINE

REGIAE CELSITVDINI TVAE

DEVOTVS

CAROLVS RENATVS HAVSEN.



P R A E F A T I O.



Cum constituissem aliquem commentariolum euulgare, in quo historicum tractaretur argumentum, initio fuit animus, non solum notitiam Saxoniae diligenter excutere aevo Carolingico, sed etiam simul in ea inquirere, quae sub Henrico I. in Saxonia acciderunt, et cum Saxonia Bauarium coniunge-re, atque res gestas sub Arnulpho, quem non nulli falso Malum nominant, enarrare. Equidem scio, Henrici I. tempora explicasse orna-menta olim Academiae Hallensis NICOLAVM HIERON. GVNDLING^a) et IOANNEM PE-TRVM DE LVDEWIG^b). Cum vero illorum labor in eo potius sit versatus, vt nobis ostendent mutationes sub eo in vniuerso Imperio Germanico; ita pauca tantum, quoad notitiam

Saxo-

a) In libro singulari de Henrico Aucepe Franciae Orientalis Saxonumque rege.

b) In disputatione: Henricus Auceps, Historia anceps.

Saxoniae annotare potuerunt. At enim vero cum nostris conatibus fauerent nonnulli et eruditione et honoribus excellentissimi viri, nobisque suas bibliothecas satis amplas aperirent, cumque iam inciperem ea, quae ad rem nostram pertinere viderentur, in ordinem digerere, vidi hoc argumentum limites disputationis longissime excedere, consilium mutare coactus, res Saxoniae sub Carolo M. illustrandas mihi sumsi. Nondum tamen omisi consilium periodum historicam Henrici atque Arnulphi difficilem, multisque tenebris implicatam, oblata occasione, expонere. Et licet nonnulli sint, qui vnam alteramque partem huius argumenti, quod iam tractamus, explicarint, tamen credo, nullum argumentum historicum ita posse exhaustiri, ut nihil possit addi, vel, si id arroganter nonnulli dictum existimat; tamen etiam aliquam gratiam atque fauorem lectorum, nobis consilium nostrum esse conciliaturum putamus, si ea, quae alii saepe numero prolixius narrauerunt, breuiter, quae, nullis interdum laudatis testimoniis; cum rationibus additis ex legibus atque scriptoribus; quaeque alii confuse atque obscure nonnunquam, plane et aperte explicata legent. Peritis enim tantum harum rerum iudicibus, et aequis aestimatoribus, nostrum qualemcumque laborem probari voluimus.

CON-



CONSPPECTVS TOTIVS DISPV TATIONIS.

- §. I. De Origine gentis Saxonicae, de Etymologia vocabuli, de primis illius sedibus atque progressu.
§. II. Saxones antiquissimi praedandi studio dediti; Prima diuisio in Ostphalos, Westphalos et Angarios ostenditur. Adduntur nonnulla de vita priuata Saxonum.
§. III. De fortitudine, superstitione aliisque vitiis et virtutibus gentis narratur. Illustratur altera diuisio in Adelingos, Frilingos, Litos et Seruos.
§. IV. De Administratione Saxoniae antiquissima. Principum Saxonorum, comitiorum et legum fit mentio.
§. V. Narratio belli per XXXIII. annos cum Carolo M. gesti.
§. VI. De libertate Saxonum a Carolo M. impetrata et de ea, quae dicitur, legum Saxon. seueritate.
§. VII. Comitibus administracionem Saxoniae fuisse commissam contra nonnullorum opinionem af-

- firmatur. De comitibus in Francico Regno sub regibus stirpis Merouingicae, simulque de variis nonminibus comitum.
§. VIII. De triplici munere Comitum aeuo Carolingico, eorum iurisdictione, cura rei bellicae atque pecuniae, quae fisco erat inferenda, exponitur.
§. IX. De Vicariis Comitum, de centenariis et Decanis simulque de dubia atque incerta centeniorum origine.
§. X. Missorum Dominicorum minus illustrat.
§. XI. Originem iudicii Vehmici non posse satis certo definiri, docetur.
§. XII. Tributarii Francis non amplius fuerunt, quamquam multis pecuniariis, si contra leges peccassent, haud exempti, de origine decimarum in Saxonia nonnulla adduntur.
§. XIII. Mutationes in re ecclesiastica explicantur.

B

§. I.

§. I.

Laudo gentes, quae ab antiquissimis temporibus primordia sua repetiuerunt. Hac enim ratione effecerunt, ut summae admirationi essent posteritati, quae plerumque antiquissima tantum amare atque amplecti; ea vero, quae vel paullo ante facta sunt vel sua aetate acciderunt parui aestimare atque negligere solet. Id vero omnes fere gentes ^{a)} diligenter fecisse obseruabis. Magna tamen inde dubitatio magnusque dissensus diligentissimorum etiam scriptorum oritur in accurate prodenda gentium origine. Ita etiam Wittichinus, optimus rerum Saxoniarum scriptor, de origine gentis Saxonicae nobilissimae nihil certi affirmare audet ^{b)} vt varias tantum afferat opiniones, quod illi et in explicatione nominis accidit. ^{c)} Illa vero gens a paruis initii ^{d)} adeo creuit, vt, relictis patriis sedibus, alia pars se conferret in regionem, quae dicitur apud scriptores Hatolaun ^{e)}; alia Britanniam peteret ^{f)}; vt auxilio esset Thiaderico atque Hermenfridum regem Thuringorum oppimeret; ^{g)} porro Clotharium primum, regem Francorum vinceret ^{h)} postea partem gentis in Italiam cum Alboino mitteret, ⁱ⁾ neque certamen cum Suavis detrectaret, ^{j)} bella denique cum maioribus Caroli M. gereret. ^{m)}

a) Nolo hic multa congerere, cum res sit trita omnibusque nota, quam incertae sint et fabulosae gentium origines. Ita Liuius de origine gentis Romanae, praefat.: *Quae ante conditam, inquit, condendamue urbem poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana*

*mana diuinis primordia urbium augustiora faciat. Quam incerta sit Germanorum origo, quem fugit? Tacitus, diligens rerum Germanicarum scriptor, affirmat, Germanos esse indigenas. Ita enim scribit in libello de Situ et Morib. German. c. 2: ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus et hospitiis mixtos, quia nec terra olim sed classibus aduehebantur qui mutare sedes quaerebant et immensus ultra utque sic dixerim aduersus Oceanus raris ab orbe nostro nauibus aditur. Quis porro praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia, Africa, aut relitta Italia, Germaniam peteret? informem terris, asperam coelo, tristem cultu aspectuque nisi si patria sit. Haec verba Taciti: Germanos fuisse indigenas, nonnullos rerum Germanicarum peritos e recentioribus ad verbum esse interpretatos, non satis possumus mirari. Chpb. Adam Rupertus in Observationibus nunquam satis laudandis ad Histor. Vniuers. Synopsin Besoldian. min. c. I, p. 17. ait: Sed Gomer, relictis istis in Asia, ulterius progressus est et ex aliis filiis, ut appareat, maximas gentes Gallorum, Scytharum et Germanorum condidit suique nominis vestigium passim inter eas reliquit, v. plura apud eund. usque ad pag. 20. Michael Praun in scripto vernacula lingua edito, cui titulus: Der wahre neu entdeckte Ursprung der Deutschen und anderer Europäischen Völker, putat, Germanos originem traxisse a Phoenicibus, quam sententiam iam ante eum protulit Bochartus, omnes populorum origines a Phoenicibus deducens. Hachenbergius in libel. posthum. de Origin. Germ. et Suedor. existimat: Germanos fuisse conuenias ex variis populis. Job. Nic. Hertius denique in Commentatt. et Opuscul. Frcl. ad Moen. 1737. in Notitia veter. German. popul. c. I. §. 1. et 2. omnes commemoratas sententias refutauit recteque dixisse videtur §. 2. init.: *anceps est disceptatio de origine Germanorum, quam vix ad liquidum ducere audemus.**

b) Ille I. I. Annal. init. ait narrationem de origine gentis Saxonicae nullo certo testimonio, sola fama niti. Varias esse hac de re opinones. Etenim nonnullos esse, qui putent, Saxones originem suam debere Danis atque Nortmannis; nonnullos, qui iactinent, Saxones esse reliquias exercitus Macedonici. Verba ipsius ita sese habent: *Et quidem de origine pauca expediam, solam paene famam sequens, in hac parte, nimia vetustate omnem fere certitudinem obscurante. Nam super bac re varia opinio est, aliis arbitrantibus*

trantibus de Danis Nortmannisque originem duxisse Saxones, aliis autem aestimantibus de Graecis, quia ipsi dicerent, Saxones fuissent reliquias exercitus Macedonici, qui secutus Alexandrum M. immatura morte ipsius per totum orbem sit dispersus. Inde nonnulli v. g. Gutfridus Viterbiens. in Pantheo, Gobelinus Persona etc. narrationem Wittichindi sunt amplexi, ut Saxonum originem a Macedonibus esse arcessendam omni modo contenderent. Nonnulli vero Saxones ob similitudinem nominis a Sagis seu Sacis, Asiae populo, originem duxisse existimarunt. Quae sententiae magno aliquandiu applausu dignae sunt visae, licet nullo certo fundamento, sed meritis coniecturis niterentur. Illustr. auctor. L. B. de Fürstenberg putat Saxones esse originis Germanicae, quod quamquam nullo certo testimonio scriptorum et aperto confirmat, tamen ex Taciti locis de M. G. c. 2. et 4. illustrare conatur, cum, quemadmodum de caeteris Germaniae transrhenanae populis plerique sentiant, ut eos indigenas credant nec aliarum gentium aduentibus et hospitiis mixtos nec connubiis infectos, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse; ita et sibi de Saxonibus, non minus quam de Francis, iure persuasum esse arbitretur. Cui opinioni (Monum. Paderborn. p. 81.) ne silentium Caesaris, Taciti, Plinii, Strabonis reliquorumque ante Ptolomaeum scriptorum aduersari videatur; quaedam affert, quibus et eos refutat, qui aut Cattorum aut Chaucorum aut Anglorum nomine Saxones apud Tacitum contineri, existiment, et ipse Cluuerium sequitur per Fosos a Tacito designari Saxones opinantem. Quanquam illa Viri illuistris et de antiqua historia Germanorum egregie meriti sententia non ita certa atque testimoniis firmata esse videtur, ut omnem plane tollat dubitationem; tamen usque dum acutiores certiora protulerint, illam amplexi Saxones Germaniae esse indigenas credimus, duo addentes argumenta, quorum primum Hertium secuti, petimus ab institutis Saxonum, ubi quilibet animaduertet, omnia fere conuenire cum iis, quae nobis prodidit Tacitus de Germanis, quod ex sequentibus etiam clarius patebit; alterum argumentum sumimus ex locis Bedae (ap. Leibnit. Rer. Brunsvic. T. I. p. 41. excerpt.): *Aduenerunt autem de tribus Germaniae populis fortioribus i.e. Saxonibus, Anglis, Vitis etc.* et Pauli Diaconi de gest. Langobard. qui l. XIV. extr. ait: *Quare Britanni Anglos Saxones Germaniae populos ad defendendam insulam vocauerunt etc.*

c) Non

- c) Non diu etymologiae vocabuli inhaerebimus. Per nos cuique sua erit libera coniectura, siue a cultellis nomen illis inditum esse putet, siue a saxo ob duritiem atque fortitudinem. Priorem sententiam, posteriore probabiliorem, protulerunt *Gregor. Turonens.* l. IV. Histor. c. 51. *Wittichindus Anal.* l. I. p. 630 ap. Meibom. qui *Cultellis*, inquit, *abstractis super inermes et improuisos irruunt et omnes fundunt ita, ut ne unus quidem ex eis superfuerit.* Fuerunt autem et qui hoc facinore nomen illis inditum tradant. *Cultelli enim nostra lingua Sabs dicuntur ideoque Saxones nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudissent.* *Gottfrid. Viterb. Panth.* part. 15. ap. Pistor. T. II. p. 362.

Ipse breuis gladius apud ipsos Saxa vocatur

Vnde sibi nomen *Saxo* peperisse notatur.

Quam sententiam etiam plerique e recentioribus sunt secuti, v. c. *Carol. du Fresne* in *Glossar. med. et infim. latinitat. Lit. S*; *Henric. Meibomius* Not. ad *Wittichind. Annal.* l. c. et *Nic. Hertius* in *Comment. supra commemoratis in Notit. Vet. Germ. c. 3. §. 3. p. 73.* Posteriorem *Isidorus de origin.* l. IX. c. 2. et *Hroswitha* probant in *Gest. Otton.* I. ap. Meibom. p. 711.

Ad claram gentem Saxonum nomen habentem,

A *Saxo* per duritiem mentis bene firmam.

Sunt et nonnullae aliae coniecturae, sed hoc profecto non tanti est, ut ei multum temporis impendamus.

- d) Locus, ubi primum Saxonum fit mentio, est apud Ptolomeum *Geograph.* l. II. in *Excerptis Conringianis* p. 106. ἐΦεξῆς δέ ἐπὶ τὸν ἀνχένα τῆς οἰμβρικῆς χερσονήσου, ΣΑΞΟΝΕΣ i. e. Deinde supra dorsum Cimbricae Chersonesi SAXONES; et paullo post: Αυτὴν δὲ τὴν Χερσόνησον, ὑπὲρ μὲν τῆς ΣΑΞΟΝΑΣ Σγουλωνες ἀπὸ δυσμῶν i. e. Ipsam autem Chersonesum supra Saxones ab occasu Siculones; ead. pag. Μετὰ δὲ τὰς ΣΑΞΟΝΑΣ ἀπὸ τῆς χαλάστρας ποταμῶν, μέχρι τῆς Σγηβας ποταμοῦ Φαροδηνος i. e. Post Saxones vero a Chaluso fluuiio usque ad Sueum fluuium, tenent Pharodeni et p. 113. Νῆσοι δὲ ὑπέρκεινται τῆς Γερμανίας, κατὰ μὲν τὰς τῆς Αλβίος ἐκβολὰς, αὖ λαζμεναι ΣΛΞΩΝΩΝ τρεῖς, i. e. Insulae Germaniae adiacent iuxta Albis fluuii ostia, tres Saxonum appellatae. *Paulus Orosius* l. VII, c. 32. Saxones gentem vocat in Oceani littoribus et in uiiis paludibus sitam. Ex quibus locis patet, primas sedes Saxonum

fuisse in Holsatia. Ab Antonini Pii temporibus, sub quo vixit Ptolomaeus, usque ad Diocletianum nihil memorabile de Saxonibus apud scriptores occurrit. Sub illo vero imperatore, Eutropius I. IX. c. 15. eorum mentionem facit, dicens, eos piraticis infestasse littora Belgicae et Aremoricae ipsamque Batauiam. Sub Valentiniano I. cladis Saxonum meminit Ammian. Marcellin. I. XXVIII. p. 754. in collect. Scriptor. Hist. Aug. (Basil. 1553.) Verba eius ita se habent: *Erupit Augustis III. CSS-Saxonum multitudo et Oceani difficultatibus permeatis, Romanum limitem gradu petebat intento saepe funeribus nostrorum pasta. Cuius eruptionis primae procellam Nannenus sustinuit comes iisdem regionibus adpositus diuturno bellorum labore compertus et paulo post: Qui ducens militem rei sufficientem, cum venisset ad loca, discriminatis ordinibus barbaros ante colluctationem adeo terruit et turbauit, ut nec controuersas opponerent manus sed signorum aquilarumque fulgore praestrixi, veniale poscerent pacem et p. 755. Exin concursum infestius, firmatisque pectoribus hinc inde incumbentes Romani clausos hostes eductis gladiis obtruncabant, nec quisquam eorum genitales reuise potuit lares, ne uno quidem caedibus corporalium superesse permisso.* cf. Monum. Paderborn. p. 80 et 81.

- e) Scriptores eum locum Hadolaun et Hotheloe nominant, ubi Saxones nauibus sunt aduecti. Incolae vero illius loci dicuntur Thuringi. Saxonum autem aduentus incidit in tempora Valentini III. Wittichindus et Adamus Bremensis hic inter se dissentiunt. Ille rem ita narrat Annal. I. I. omnes Saxones in eum locum, qui Hotheloe nominatur, peruenisse, post, viatis Thuringis, cum sibi famam fortitudinis comparauerissent, partem gentis misisse in Britanniam. Contra Adami Bremensis verba ex Eginhardo. (Histor. Eccles. I, c. 3.) ita se habent: *Saxonum pars veniens in Britanniam Romanos ab illa depulit insula, altera pars Thuringiam oppugnans, tenuit eam regionem c. 4. Saxonum gens ab Anglis, Britanniae incolis egressa, per Oceanum nauigans Germaniae littora studio et necessitate quaerendarum sedium appulsa est in loco, qui vocatur Hotheloe.* Quoquomodo loci concilientur scriptorum, hoc certe constat, Saxones, viatis Thuringis, partem sibi Thuringiae vindicasse, in quo etiam Adamum Bremensem habemus consentientem cum Wittichindo. Quae vero ante occupatam a Saxonibus Thuringiam accidisse Wittechindus refert,

refert, diligenti rerum historicarum examinatori vix poterunt tanquam fide digna probari.

- f) Britannia sub imperatore Valentiniano III vehementer a duabus nationibus barbaris a Scottis et Pehitis affligebatur. Cumque Britanniae incolis non possent Romani succurrere: ad Saxones illi confugiebant, multa magnaque polliciti praemia, si ipsis essent auxilio. Neque Saxones talibus promissis aduersabantur, sed praesto erant auxilio, atque exercitum in Britanniam mittebant, qui tanta vtebatur felicitate, ut barbaros vinceret fugaretque, ibique amicitia Brettorum usus, per aliquod tempus maneret. Cum vero deinceps Saxonum principes animaduerterent, Brettos esse nationem pigrum neque ad bellandum natam, euocarunt ad se alium exercitum Saxonum, factaque pace cum Scottis et Pehitis, Brettis viatis atque electis, insulam inter se distribuunt. Tradunt nobis hanc expeditionem bonae notae scriptores *Gildas*, *Nennius* et *Beda*, quorum locos cf. ap. Leibnit. Rer. Brunsuic. T. I. p. 31 sqq. porro Paulus Diaconus, Wittichindus, et Adamus Bremensis. *Paulus Diaconus* de gestis Langobard. l. XIV. extr. *Quare Brittanni Anglos Saxones Germaniae populos ad defendendam insulam vocauerunt, qui cum hostes abegissent, in Brittan nos arma conuerterunt, stipendia sibi promissa non solui causati, itaque aliam insulae partem et ipsi occuparunt.* Copiose rem narrat Wittichindus Annal. I. ap. Meibom. p. 630. *Britannia a Vespasiano principe iam olim inter prouincias redacta et sub clientela Romanorum multo tempore utiliter degens, a vicinis nationibus impugnatur, eo, quod auxilio Romanorum destituta videretur.* - - - Deinde promissus in Britanniam mittitur exercitus et grataanter ab amicis suscepitus in breui regionem liberat a latronibus. Manserunt itaque in illa regione aliquanto tempore vicaria Brettorum bene usi amicitia. Ut autem viderunt principes exercitus, terram latam ac fertilem et incolarum manus ad bellandum pigras, mittunt ad euocandum maiorem exercitum, et pace cum Scottis et Pehitis firmata, in commune contra Brettos insurgunt eosque regione propellunt et suae ditioni regionem distribuunt. Adamus Brem. denique l. I. c. 3. *Saxonum pars veniens in Britanniam Romanos depulit ab illa insula.*
- g) Mortuo Francorum rege Clodouaeo, qui vnam filiam Amalbergam, quae nupta erat Hermenfrido Thuringorum principi, relique-

reliquerat, nothus eius Theodoricus s. Thiadericus in regem Francorum vncus, misit legationem ad Hermenfridum, quae illi notum faceret, se designatum esse regem; atque amicitiam, pacem et concordiam ab eo petere. Neque Hermenfridus alienus fuisset a voluntate Theoderici, nisi vxor Amalberga, cuius animo inerat dominandi libido, et dolo et consiliis aliorum eo maritum adegerit, ut legato superbe responderet. *Wittechindus* aperte et copiose Annal. I, p. 630: *Posthaec moritur Huga Clodouacus, Rex Francorum, nullum alium regni haeredem relinquens prueter unicam filiam, nomine Amalbergam, quae nupserat Erminfrido, regi Thuringorum.* Populus autem Francorum filium, quem ex concubina genuit, nomine Thiadericum in regem vngunt. Thiadericus autem designatus rex mittere curauit legationem pro pace atque concordia ad Erminfridum. - - - Ad haec Erminfridus clementer legato respondit, placita sibi placere populi Francorum, ab eorum concordia non discordare. -- Audiens autem regina legatum fratris superuenisse suasit Hiringo, ut pariter persuaderent viro, quia sibi regnum cessisset iure hereditario, Thiadericum vero ex concubina natum, et ideo indecens fore, proprio seruo unquam manus dare. Erminfridus respondit legato: *Amicitiam quidem sui et propinquitatem Theodorico non negare, mirari tamen non satis posse, quomodo prius imperium usurpare vellet, quam libertatem, seruum natum et quomodo sui quaereret dominium? proprio seruo non posse manus dare.* Thiadericus vero hoc responso inflammatus statim properat cum exercitu in Thuringiam, prima et altera die ancipiti et dubio Marte pugnatur. Tertia die Herminfridus quidem vincitur, non tamen ita eius vires debilitantur, ut amplius resistendo impar videretur. Franci itaque ad veteres Thuringorum hostes, ad Saxones mittunt, auxilium eorum implorant, illis in aeternam possessionem regionem Thuringicam promittentes. Neque illi cunctati mittunt duces cum militibus, vincunt penitus Erminfridum. Ea omnia copiose narrat Wittich. I, Annal. p. 631 - 634. breuius Adam. Brem. l. I, c. 4. *Eo tempore, quo Thiadericus rex Francorum dimicaret contra generum suum Hermenfridum, Thuringorum ducem.* Lati fines Saxonum post certamen in Thuringia erant. Idem Wittichindus Annal. I. p. 634: *Saxones igitur possessa terra, summa pace quieuerunt societate Francorum atque amicitia usi. Parte quoque agrorum cum amicis auxiliariis*

liariis vel manumissis distributa, reliquias pulsae gentis tributis condemnauere. Distinctius Ad. Brem. ex Eginhardo l. I, c. 4. Qui eam (Thuringiam) forte diuidentes, cum multi ex eis in bello occidissent, et pro raritate eorum terra ab eis occupari non potuit, partem illius, eam maxime, quae respicit orientem, colonis tradebant singulis, pro sua sorte sub tributo exercendam. Caetera vero loca ipsi possidebant a meridie quidem Francos habentes et partem Thuringorum, quos praecedens hostilis turbo non tetigit, alueoque fluminis Unstrote dirimuntur, a Septentrione vero Nortmannos, gentes ferocissimas, ab ortu solis Obotritos et ab occasu Frisos, a quibus sine intermissione vel foedere vel concertatione necessaria finium suorum spatia tuebantur.

- b) De quo certamine multa occurrunt in antiquis Scriptoribus Francicis Gregor. Turon. l. IV, c. 14. in collectione Scriptor. Rer. Francic. edita a Pithoeo, Frf. 1596. Igitur Clotharius, cum regnum Franciae suscepisset, atque illud circumiret, audiuit a suis iterata insanis effruescere Saxones sibiique esse rebelles, et quod tributa, quae annis singulis consueuerunt ministrare, contemnerent reddere. His incitatus verbis ad eos dirigit. Cumque iam prope terminum eorum esset, Saxones legatos ad eum mittunt, dicentes: Non enim sumus contemtores tui et ea, quae fratribus ac nepotibus tuis reddere consueuimus, non negamus et maiora adhuc, si quaesueris, reddemus. Vnum tantum exposcimus, ut sit pax, ne tuus exercitus et noster populus conlidatur. Et quamquam Clothario erat animus pacificus, atque abire neque Saxonum fortitudinem experiri cupiebat, tamen Franci adeo erant audacia vel potius insania inflammati, ut omni modo et ratione certamen efflagitarent. Ita enim pergit Gregorius l. c. Rursus Saxones obtulerunt medietatem facultatis suae, pacem petentes. Rursus vestimenta, pecora vel omne corpus facultatis suae, dicentes: Haec omnia tollite cum medietate terrae nostrae, tantum uxores et liberos seruate. Non dum tamen Francorum animus tantis promissis placabatur, sed nisi Rex iis satisfaceret, ipsi periculum intendere minabantur. Haec videns, ait Gregorius, Clotharius inuitus abiit cum iis. At illi initio certamine maxima ab aduersariis internecione caeduntur. Tunc Clotharius valde confusus pacem petiit, se non sua voluntate super eos venisse. Qua obtenta, ad propria rediit. Plane cum Gregorio Turonensi consentit Aimoinus de gest. Francor. qui et

C

belli

belli caussam et tributi, quod Saxones Francis pendere cogebantur, addidit, quod a *Gregorio Turonensi* omissum reperimus. Ita enim scribit *Aimoinus* l. II, c. 27. *Post haec idem Rex Clotharius rectum iter in Saxones direxit, qui assiduis excursionibus Francorum fines deuastabant.* *Quibus super Wiseram fluuium bello subactis, Thuringos quoque depopulatus est.* Denuo Saxonibns rebellare parantibus, Clotharius aduersus eos exercitum mouet. Verum Saxones iam humiliati per legatos commissorum indulgentiam postulantes, de caetero emendationem pollicentur, suarumque rerum omnium partem medium, exceptis coniugibus ac liberis, loco pignoris offerunt. *Quod Franci respectui habentes proelium adoriandum putarunt.* Coacti Saxones manum conserere tanta in Francos strage bacchati sunt, ut vix pauci Clothario Regi supereffent, ad fugae potius societatem quam ad proeliandi subsidium.

- i) Hanc Saxonum expeditionem in Italiam accurate narrat *Paulus Diacon.* de gest. Langobard. l. II. c. 6. in Collect. Scriptor. Rer. Italic. a *Ludou. Muratorio* edita Mediolan. 1723. *Alboin vero ad Italianam cum Langobardis prefecturus ab amicis suis vetulis Saxonibus auxilium petit, quatenus spaciosem Italianam possessurus intraret.* Ad quem Saxones plusquam viginti millia virorum cum uxoriibus simul et parvulis, ut cum eo ad Italianam pergerent, iuxta eius voluntatem venerunt.
- l) Clotharius II et Sigebertus, Reges Francorum, ~~filius Clotharii I.~~ cum audissent, partem Saxonum sedes suas dereliqueris atque in Italiam migrasse; dederunt loca deserta Suavis aliisque gentibus ad inhabitandum. Sed Saxones celeriter regressi vi atque armis depellere conantur illas gentes, neque ullis placantur conditionibus, pugnam committunt duabus vicibus sed infeliciter, adeo ut eorum exigua pars supereffet, Consentient *Gregor. Turon.* l. V. c. 15. et *Paulus Diaconus* l. II. c. 6.
- m) Scriptores enim narrant, a Carolo Martello et caeteris maioribus Caroli M. Saxones victos fuisse. Ita v. g. *Lambertus Schaffnaburg.* ad a. 720. pugnae meminit, quam Carolus Martellus commisit cum Saxonibus. Ita enim scribit ad h. a. Pugnauit Carolus contra Saxones et *Annales Francor.* Fulenses ad d. a. Postea Saxones vastando vicit regreditur. Ita etiam Pipinus et Carolomannus continua fere bella cum Saxonibus gesserunt, de quibus cf. *Reginonis Chronic.* II. ad a. 743, 44, 46, 47, 57. *Hermann*

mann Contract. ad a. 743 et 44; *Lambertum Schaffnaburgens.* ad a. 758 et 775. *Annales Francor.* Fuldens, ad a. 745, 48, 53, 58.

§. II.

Imprimis vero illa gens praedandi erat dedita studio.^{a)} Neque id mirum alicui videri potest, cum rapinae cupiditas antiquissimis temporibus apud omnes fere Germaniae gentes inualuisset.^{b)} Post feliciter victum Hermenfridum Thuringorum principem, tribus populis Saxonum gens constabat, Ostphalis, Westphalis et Angariis,^{c)} quorum instituta bona pro ratione illorum temporum, et diligent examinatione digna esse videntur. Vita eorum priuata erat simplicissima, vti de caeteris Germaniae gentibus obseruare licet.^{d)} Saxones sanctissime autem matrimonii societatem iniisse atque coluisse ex antiquitatis monumentis constat.^{e)}

a) laudo *Adam. Bremens.* I, c. 4. qui refert ex *Einhardo.* Erant enim inquieti et finitimarum gentium sedibus infesti, domi vero pacati et ciuium utilitatibus consulentes. Adde e recentioribus *Nicol. Hertium*, qui plura loca concessit Part. III. c. 3. §. 6. de Notit. popul. veter. *Germ. Vol. II.*

b) confer. *Tacitus de Mor. Germ.* passim. E recentioribus *Hertius* Notit. Vet. Germ. populor. Tom. II. Part. I, c. 2. §. 1.

c) Sunt nonnulli docti viri, qui sibi persuaserunt, hanc diuisionem Saxonum demum factam fuisse eo tempore, quo partem Saxonum Carolus M. in Galliam transtulit. Cui opinioni cum imprimis faueat supra laudatus *Hertius*, eam omni etiam modo defendere conatur Part. III. c. 3. §. 12. Ita enim scribit §. cit. *Durante bello, Carolus M. multa millia Saxonum in Galliam transportanda curauerat, complures praelia absumperant.* Quo factum, ut in loca incolis vacua Francos reponi necessitas iuberet, et *Saxones ita immixti Francis, distinguerentur in Ostualos et Westualos, quorum illi ultra, hi citra Visurgim incolebant.* Nam hallucinantur,

qui ante Carolum M. nomina haec fuisse, existimant. Vedit hoc fere, coequentibus hic aliis, Trithemius libro de Scriptoribus Eccles. c. 3. scribens: Carolum M. in locum Saxonum, quos trans Rhenum locauerat, ex Gallis similiter triginta millia Saxoniam translusisse eosque ad differentiam Westgallos, vulgariter autem Westwallen nuncupasse, qui hodie corrupto vocabulo Westphalen nuncupantur. Vid. plura ap. Hert. p. 82. Res in vniuersum eo redit, vt videamus, vtrum Hertius melioribus argumentis suam sententiam possit confirmare an ii, qui illi hallucinari videntur, quiue dicunt, hanc diuisionem iam antiquissimis temporibus obtinuisse. Testimoniis igitur scriptorum erit vtendum. Hertius in not. ad §. 12.: *Gobelinus Persona Cofinodrom. aet. I, c. 5. ap. Meibom.* Westphalianam demum Caroli M. aetate sic dictam censet. Utitur deinde testimonio Werneris Roleuincii, qui vixit sub Frideric. III. Confugit denique ad nominis rationem: *Nimirum Germani et in iis Saxones exteros Wallones sive Wallen vocabant.* At enim vero haec testimonia et argumenta profecto non tanti sunt, vt possint plane scriptorum antiquissimorum auctoritatem tollere. *Annales Eginhardi* ad a. 775. *Hesso* unus ex primoribus Saxonum cum omnibus Ostualis occurrens, obsides dedit. ad a. 777.: *Cum cuncti ad eum* (Carolum) *venerunt praeter Witikindum, unum e primoribus Westphalorum.* ad a. 779. *Rex Westphalorum regionem ingressus — ibi Angeri et Ostphali venientes — obsides dederunt.* Poeta anonym. ad a. 772. *Wittichindus* etiam *Annal. l. I.* cuius Hertius h. l. non meminit aperte scribit ap. Meibom. p. 634. *A tribus etiam principibus totius gentis ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis ac vocabulo nouimus signatos, in Orientales scilicet populos, Angarios atque Westphalos.* Cum quibus consentiunt et alii Rerum Germanicarum scriptores Regino, qui meminit Orientalium Saxonum et Angariorum et Westphalorum *l. II. Chron.* ad a. 775. Herrmann. Contract. Lambertus Schaffnaburg. Marianus Scotus, qui omnes ante bellum Saxonum finitum huius diuisionis mentionem fecerunt. Porro omnes fere *Annales Francorum* consentiunt v. g. *Fuldenses* ap. Freher. T. I. ad a. 784. *Carolus iunior a patre cum exercitu in Saxoniam missus Westphalaos in praelio superauit et domuit.* Loca Annalium Francorum Hertius nullo modo ignorauit, sed ea commemorans addit: *Annalistas hosce diu*

diu post finitum bellum cum Saxonibus scripsisse et ex usu temporum suorum nomenclaturam sumfuisse. Hoc vero si unus alterque fecisset probabilis videretur Hertii opinio, cum vero omnes consentiant scriptores, interque eos etiam antiquissimi, ut ante translatos in Galliam Saxones, triplicis Saxonum populi meminerint, cum Hertii sententiae nullus ex antiquis faueat, sed recentiores tantum; cum praeterea in Capitular. Saxon. dat. Aquisgrani a. 797. initio, ea diuisio occurrat, affirmamus potius eam diuisiorum esse antiquissimam. Illi vero populi incoluerunt pagos, quod annotasse sufficiat, cum id argumentum penitus exhauserit *Henr. Meibomius* in Commentar. de vtriusque Saxoniae et vicanarum regionum pagis, adiecto collectioni Scriptor. Rer. Germ.

- d) Vita priuata Saxonum fere conueniebat cum vita priuata veterum Germanorum, et quadrant huc omnia fere, quae Tacitus de Mor. Germ. habet. Nolo itaque acta agere. cf. *Hertius Notit. popul. vet. Germ. c. 3. §. 2 - 5. P. I.*
- e) Insignis locus occurrit. ap. *Saluianum Massiliensem* de Gubernatione Dei: *Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi.* *Adamus Bremensis l. I, c. 5.* *Generis quoque ac nobilitatis suae prouidissimam curam habentes nec facile ullis aliarum gentium nobilitate sibi inferiorum hominibus infecti, propriam et sinceram tantumque sibi similem gentem facere conati sunt et paullo post: id legibus firmatum ut nulla pars in copulandis coniugiis propriae fortis terminos transferat.* *Si vero quisquam harum sibi non congruentem et generi praestantiorum duxerit uxorem, cum vitae suae damno componat.* cf. tit. 6. Leg. Saxon.

§. III.

Fortitudine, peritia rei nauticae aliisque virtutibus excelluit illa gens, ^{a)} licet scriptores eam ob vitia etiam nonnunquam vituperent. ^{b)} Quantopere autem superstitione laborauerit, inter omnes satis superque constat. ^{c)} Boni ordinis eam studiosissimam fuisse testatur diuisio in Adelingos, Frilingos, Litos et seruos. ^{d)}

- a) Fortitudine insignem fuisse gentem, a nemine poterit in dubium vocari, qui accurate tot et tantas expeditiones bellicas perpendit, quas fortiter suscepit feliciterque perfecit. Quare et virtus eorum ap. scriptores maxime celebratur v. g. ap. *Ammian. Marcell.* l. XXVIII. c. 2. *Wittich. Annal.* l. I. p. 630; *Hroswithae Histor. de gest. Otton.* p. 711. ap. *Meibomium*; *Adamus Bremens.* l. I, c. 3. ex *Gregor. Turon. et Orosio: Saxonum gens ferocissima, virtute et agilitate terribilis.* *Chronicon de Germanis* (in collect. Script. Rr. Germ. ap. *Pistorium* T. II. p. 54.) ita de iis scribit: *Erant Saxones, qui sunt Germani, et duri et laboribus assueti.* Laudantur etiam Saxones ob peritiam rei nauticae, cf. *Sidonium Apollinarem* l. VIII, ep. 6. e recentioribus *Cluverium* in *German. antiq.* l. I, c. 18. Inter virtutes alias praecipue constantiam amarunt, de qua multa narrant *Regino*, *Wittichindus* aliique.
- b) inter vitia eminet avaritia, si fides est habenda *Ad. Bremensi* l. III. c. 25. *Audiui etiam populos Sclauorum iam dudum procul dubio facile conuerti posse ad christianam religionem, nisi Saxonum obstitisset avaritia, quibus mens pronior est ad pensiones vectigalium, quam ad conuercionem gentilium.* Perfidiae etiam contemtaeque iurisiurandi religionis solent saepe apud scriptores accusari, in quo tamen haud scio, an eos satis excusat et insatiabilis libertatis cupiditas et summus superstitionis error, cum nec, per quem iurare eogerentur, Deum, nec, a quibus opprimarentur, amicos sed hostes existimarent. Fera quoque gens Saxonum audit *Saluiano Massiliensi de Gubernat. Dei* (ap. *Leibnit. T. I. Rer. Brunsvic. excerpt.*)
- c) Multa scriptores et antiqui et recentiores narrant de superstitione Saxonum. Breuiter sed aperte rem tradit insignis locus apud *Adam. Bremensi* l. I, c. 4. ex Eginhardo. *Coluerunt enim eos, qui natura non erant dii, inter quos praecipue Mercurius. Deorum simulacra neque templis includere, neque villa humani oris specie assimilare ex magnitudine et dignitate coelestium arbitrati sunt. Lucos et nemora consecrantes deorumque nomine appellantes, secretum illud sola reverentia contemplabantur.* Sequitur deinde locus de auspiciis atque fortibus cum publicis tum priuatis, qui conferendus est. Exponit deinceps, quod tempus rebus gerendis aptissimum esse censuerint. *Quomodo autem, inquit, certis diebus cum aut inchoatur*

ebatur luna aut impletur agendis rebus auspiciatissimum initium cre-
diderint, praetereo. Mentionem denique columnae Irmensulae
facit: *Truncum quoque ligni non paruae magnitudinis in altum ere-
sum sub dio colebant, patria eum lingua Irmensul appellantem, quod
latine dicitur, vniuersa columnna sustinens omnia.* De quo idolo
Saxonum duumiri egerunt historiae Saxonicae peritissimi *Henr.
Meibomius* in *Commentar. de Ermensula Saxon.* et *Schatenius* in
Histor. Westphal. l. VII, p. 433.

- d) Haec ciuium descriptio occurrit in loco *Nithardi Histor. Franc.*
l. 4. p. 105. ap. Schilterum; *Gens (Saxonum) omnis in tribus
ordinibus diuisa consistit. Sunt enim inter illos, qui Edhilingi, sunt qui
Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua
hoc sunt nobiles, ingenuiles atque seruiles.* Cum quo consentit *Huc-
baldus Elnonensis abbas in vita Lebuini.* Ex quibus locis, quamquam
quibusdam hoc effici videtur, ut ad vnum genus eandemque condi-
tionem relatios fuisse a veteribus Seruos atque Libertos arbitrentur
tamen non erit ea admittenda opinio, cum eos pateat fuisse forte di-
uersa vsos. Potest primum confirmari ex eo, quod haec diuisio apud
Saxones plane cum ea conuenit, quam nobis de antiquis Germanis
prodidit *Tacitus de Mor. Germ.* c. 25. *Liberti non multum su-
pra seruos sunt, raro aliquid momentum in domo, numquam in ci-
uitate.* Exceptis duntaxat iis gentibus, quae regnantur: *Ibi enim
et super ingenuos et super nobiles ascendunt.* Apud caeteros impa-
res libertini libertatis argumentum sunt. et c. 44. *Arma (apud
Suiones) — clausa sub custode et quidem Seruo —.* Enim uero
neque nobilem, neque ingenuum, ne *Libertinum* quidem armis pre-
ponere regia utilitas est. Deinde ex *Witichindo Annal.* l. I p. 634.
vnde usque hodie gens *Saxonum triformi genere ac lege, praeter con-
ditionem seruilem, diuiditur;* ex *Adam. Bremens.* l. I. c. 5. *Qua-
tuor igitur differentiis gens illa consistit, nobilium scilicet et libero-
rum, libertorum atque seruorum.* Denique ex capitulari *Saxonum*
Aquisgrani a. 797. apud *Georgisch.* p. 599. art. 3. *Item pla-
cuit omnibus Saxonibus, ut ubiunque Franci secundum legem Sol.
XII. soluere debent, ibi nobiliores Saxones sol. XII., ingenui V. Liti
IV. componant.* Adde e recentioribus *Carolum du Fresne* in *glos-
far. voc.* *Adelingi, Frilingi et Liti.* Nos igitur affirmamus in
quatuor ordines diuisos fuisse Saxones in Adelingos et Frilingos,
Litos et Seruos. Caeterum, quae possemus addere de differen-
tia

tia horum ordinum, de origine, praecipuisque eorum iuribus et fatis, ea ipsa, magna diligentia industriaque illustrarunt *Paul Hachenberg* Diff. II. de ordinibus veter. Germanorum in Eiusd. German. med. et Celeb. D. *Cramerus* in Commentar. de iure et praerogatiis nobilitatis uitiae, c. 2. §. 7.

§. IV.

Paruit vero gens illa principibus, qui cuiuscunque pagi negotia, administrarent. ^{a)} Ingruente vero bello et consensu populi et principum unus eligebatur, qui summae rei praeesset, exercitumque aduersus hostes duceret. ^{b)} Cuiusmodi duces fuerunt tempore Caroli M. Wittichindus atque Albion. ^{c)} Comitia etiam Saxones celebrauerunt ^{d)} legibus praeterea usi seueris, ^{e)} quae tempore iussu que Caroli M. sunt perscriptae. ^{f)}

a) Hi Praefecti pagorum varia habent apud scriptores nomina, cum et principes dicantur et duces et satrapae. Laudo primum locum, qui horum principum meminit. Est apud *Bedam* Histor. Eccles. gentis Anglic. l. V. c. 2. *Antiqui*, inquit, *Saxones regem non habent sed satrapas plurimos genti suae praepositos*. Consentit *Poeta Anonymus* ad annum 772.

Nec Rege fuit saltim sociata sub uno
Vt se militiae pariter defenderet usi.
Sed variis diuisa modis plebs omnis habebat
Quot pagos, tot ferme duces, velut unius artus
Corporis in diuersa forent hinc inde reuulsi

Wittichind. Annal. I, qui etiam numerum horum principum definire videtur, scribit ita: *A tribus etiam principibus totius gentis ducatus administrabatur.* Quorum vero potestas angustis circumscripta videbatur limitibus, cum populus summis iuribus atque praerogatiis gauderet; illi autem rei bellicae singularem curam haberent, auctore *Wittichindo* Annal. l. I: *Certis terminis exercitus congregandi potestate contentis* (puta: principibus)

b) Ingruente enim bello communi, sorte aliquis ex his ducibus eligebatur, cui summa rei exercitusque cura commendabatur.

Finito

Finito bello, et ducis potestas, qua antea illi vti licuerat, finiebatur, et caeteris auctoritate siebat aequalis. Cf. Bedam Histor. Eccles. I. V. c. 11: *Qui (Satrapae Saxonum) ingruente belli articulo mittunt aequaliter sortes, et quemcunque fors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, et huic obtemperant; peracto autem bello rursus aequalis potentiae omnes sicut satrapae; et Wittichbind. Annal. I. I. p. 634: Si autem bellum uniuersale ingrueret; forte elitur, cui omnes obedire oporteat, ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, aequo iure ac propria potestate unus quisque contentus viuebat.*

- c) Wittechindum nonnulli perperam regem nominant, forsitan ideo, ut possint principum familias, quas fere omnes ab eo deducere conantur, eo augustiores facere, sed quam hoc sit fabulosum, quamque incertis nitatur argumentis non est, quod moneamus. Annales certe Francorum Wittichindum et Albionem passim primores tantum Westphalorum nominant. v. c. Annales Eginhardi ad a. 777. *Cum cuncti ad eum venirent, praeter Wittichindum, unum e primoribus Westphalorum.* Et ad annum 775. Hesso unus ex primoribus Saxonum.
- d) De Saxonum comitiis extat locus apud auctorem vitae S. Lebuni, qui scribit, Saxones quotannis in Marcalo ad Visurgim conuentum generalem celebrasse. Quem locum ita explicat atque illustrat Wernerus Roleuincius de Situ et Mor. Westphalor. I. II. *Moris erat, ut semel in anno generale concilium agerent in media Saxonia iuxta fluum Weseram, ad locum, qui dicitur Marcklo. Solebant ibi omnes in unum satrapae conuenire, ex pagis quoque singulis, duodecim electi nobiles, totidemque liberi et totidem laici. Renouabant ibi leges, praecipuas causas adiudicabant, et quid per annum essent acturi, siue in bello, siue in pace, communi decreto statuebant.*
- e) Seueritatem legum Saxoniarum testatur ipsa lex Saxonum, quam exhibet Lindenbrogius in Cod. LL. antiquar. et Peter Georgisch in Corpor. Iur. Germ. antiq. p. 453 sqq. Illustratur inde locus Adami Bremensi. I. c. 5. *Legibus - - ad vindictam malefactorum optimis utebantur.*
- f) Quamquam enim sunt, qui Saxonum leges ante Carolum M. litteris mandatas esse existiment, eos tamen idoneis argumentis refutarunt Hermann. Conring. in: de Origin. Iur. German. c. XIII. p. 51. et Heineccius in Histor. Iur. Germ. c. 2. §. 33. p. 385.

§. V.

Inclytam potissimum hanc gentem reddidit diuturnum bellum, quod per XXXIII annos cum Carolo M. gestum a tot scriptoribus celebratur.^{a)} Si auctoritatem plerorumque antiquorum sectamur^{b)} qui Carolum M. eo consilio suscepisse bellum praedicent, vt gentem tanta superstitione atque erroribus obstrictam ad veram fidem traduceret, pietate adductus Carolus Saxones debellavit; fin ad veritatem rem reuocamus, probabilius videtur, sub obtentu religionis, inter alias caussas, veram certamque in gloriae potentiaeque augendae cupiditate latuisse.^{c)} Tanta vero fortitudine tantaque pertinacia in illo bello vni sunt Saxones, vt saepius post ditiones, cum Carolus M. eos attenuatos confectosq[ue] crederet adeo, vt amplius resistendo impares essent, indeque ad alias se conferret expeditiones, denuo rebellarent.^{d)} Anno vero DCCLXXXV et primores eorum et reliqua gens maxima ex parte necessitatibus et armis victricibus Caroli M. cedere sunt coacti,^{e)} licet nonnullae belli reliquiae manerent, seditionibus et postea commotis.^{f)} In annum tandem DCCCIII, finis huius belli incidit,^{g)} ex quo tempore mutata Reipublicae conditio incipit. Quamquam enim ex certis testimoniis satis superque constat, nonnullas etiam mutationes factas fuisse ante et post annum 785,^{h)} tamen, cum post hunc annum quoque rebellatum sit, parum seruata fuisse haec instituta intelligimus. Quare vt narrationem constitutae a Carolo M. Reipublicae Saxonum, post bellum penitus profligatum incipiamus, natura rei postulare videtur.

a) Ini-

- a) Initium belli incidit in annum 772. Cf. Annales Eginhardi ad 772. Poetam Anonym. ad h. a.

Hanc igitur Carolus statuit sibi subdere gentem
Nec mora, cum totis Francorum viribus ipsam
Aggressus, late ferro vastauit et igni.

Regino Chronic. l. II. ad h. a. ita scribit: Anno Dominic. incarnat. 772 Carolus Rex Synodum habuit in Wormatia et inde perrexit in partes Saxoniae. Consentit cum eo Lambertus Schaffnaburg. ad h. a. Carolus in Saxonia Erespurg expugnauit et fanum eorum, quod vocabatur Irmenful destruxit. Sigebertus Gemblac. Chronograph. ad eund. an. Carolus Rex ad Saxonicum bellum animum intendit. Annal. Francorum Fuldens. ap. Freher. Tom. I. add. a. Carolus Saxoniam bello aggressus Eresburgum castrum capit etc. etc.

- b) V. g. Annal. Eginhardi (ap. du Chesne T. II.) ad a. 775: *Consilium iniit, vt perfidam ac foedifragam Saxonum gentem bello aggrederetur et eo vsque perseueraret, dum aut victi Christianae Religioni subiicerentur, aut omnino tollerentur etc. Eginhard. in vita Caroli M. Wittichind. Annal. l. I. p. 634. Igitur Saxones paterno errore obligati vsque ad tempora Caroli M. perdurabant. Magnus vero Carolus cum esset regum fortissimus, non minori sapientia vigilabat. Enim vero considerabat finitimam gentem nobilemque vano errore retineri non oportere, modis omnibus satagebat, quatenus ad veram fidem duceretur et nunc blanda suasione nunc bellorum impetu ad id cogebat.*

- c) Si etiam facillime largior illis, qui Carolum M. nobis laudant, ut principem omnibus virtutibus conspicuum, eum coluisse pietatem; tamen nullo modo mihi possum persuadere, ob solam religionem esse suscepit bellum, cum in historia aperta occurrant documenta, ex quibus bene colligi potest, Carolum non ab omni dominandi libidine fuisse liberum. Suffragatur fere nobis ipse Eginhardus qui in vita Caroli M. c. 17. scribit: *Carolus M. cum tantus in ampliando regno et subigendis exteris nationibus existaret et in huiusmodi occupationibus assidue versaretur: opera tamen plurima ad Regni decorem et commoditatem pertinentia - - - inchoauit, quaedam consummauit.* Vnde recte dixisse videtur Illustr. et de Historia Germanica optime meritus Comes de Bünau Part. II. der deutschen Kayser und Reichs Histor. p. 623. l. II. *Wie Gottesfuerchtig, wenig stens nach dem Begriffe der damaligen*

maligen Zeiten Carl gewesen, bezeugen sowohl die vielen von ihm erbaueten und reichlich beschenkten Kirchen und die bey demselben gemachten Anstalten als auch sein unablässiger Eifer für Ausbreitung der Religion. Doch mögen andre urtheilen, ob die Ausbreitung seiner Macht zuweilen nicht auch etwas zu diesem Eyer beygetragen habe etc. Quae praeterea Carolum excitarint ad hoc bellum caussae, v. g. frequentissimae incursiones, tributum denegatum refert Eginhardus in vita Caroli M. c. 7.

- d) Res est nota, quam saepe Carolus Saxones vicerit, hi vero rebellionem denuo suscepereint, multa narrant de hoc bello *Annales Eginhardi, Regino, Herrmannus Contract. Lambert. Schaffnab. Sigebert. Gemblac.; Marianus Scotus.; Annales Francorum Fuldens.* aliique. Ita eg. cum a. 772 Saxones Carolo obsides dedissent, Carolus itaque in Franciam rediret, et seq. anno expeditionem Italicam susciperet; a. 774. Saxones, postpositis sacramentis irruptiones fecerunt in fines Francorum. *Regino Chron. l. II, ad a. 772. Destructo fano Rex super Wiseram fluuium venit et ibi cum Saxonibus placitum habuit et accepit XII obsides et reuersus est in Franciam. Id. ad a. 774. Rex tum in illis partibus pro huiusmodi negotio moram faceret, Saxones occasione accepta postpositis sacramentis in finibus Francorum impetum fecerunt. Consentient *Annal. Francor. Fuldens. ad a. 774. Interea Saxones in Hessis terminos Francorum vastant.* A. 775. Carolus vicit et fugavit super Wiseram fluuium in loco, qui apud scriptores nominatur Brunisberg Saxones, et illi se tradiderunt Regi atque sacramenta iurauerunt, sed cum deinceps Carolus in Italiā sese conferret aduersus Rotgaudum rebellem, Saxones cognita absentia regis iterum Sacra menta ruperunt cf. initio laudat. *Scriptor. ad a. 775. et 776. A. 777. Carolus placitum tenuit in loco, qui dicitur apud Scriptores Padrisbrunna, vbi Saxones omnes, excepto Wittekindo conuenerunt, atque fidelitatem regi iurauerunt, sed cum anno seq. Carolus aduersus Saracenos in Hispania arma moueret, atque Saxones viderent, tam longe abiisse regem, suadente Wittikindo rursus rebellauerunt cf. ad a. 777. scriptor.**
- e) *Annal. Francor. ad a. 786. Puscha ibi celebrait et synodum tenuit Patrisbrunnae et per vias apertas totam Saxoniam venit, ad Bardingungi et Widogingus ibi ad eum venit et reuersus in Franciam venit ad Atiniacum, ibi Witikingus baptizatus est. Fragment. Annab.*

Annal. Francor. ad a. 785. t. II. in collect. Script. cura Andreae du Chesne edita. Nullusque rebellante postquam rex rediit domum suam Wieduchbind tot malorum actor ac inceptor venit cum sequacibus suis ad Attiniaco palatium et ibidem baptizatus est et Carolus Rex suscepit eum, ac donis magnificis honorauit. Annal. Rer. Francic. quae a Pipino et Carolo M. gestae sunt ad. a. 785. Et ibi baptizati sunt Witichindus et Albion, vna cum sociis eorum et tunc tota Saxonia subiugata est. Poeta Anonymus ad a. 785.

Hic iidem proceres sacri baptismatis vnda

Perfusi, tandem Regi mansere fideles.

Consentient Scriptor. nota d) commemorati.

f) Etenim ad a. 794. Scriptores narrant: Carolum Saxoniam rursum ingressum esse Saxonesque congregasse se in loco, quem nominant Finisfeld cf. Annales Eginhard. ad h. a. *Regino ad d. a. Rex - diuiso posthaec in duas partes exercitu Saxoniam ingressus est. Ipse rex per Thuringiam, Carolus filius vero eius per Coloniam transiit. Tunc Saxones congregantes se in loca, qui dicitur Finisfelt praeparauerant se ad pugnam.* Annal. Francor. Fuld. *Saxones in Sinitfelde congregati a Carolo subacti sunt.*

g) Eginhard. in vita Caroli M. p. 96.: *Eaque conditione a rege proposita et ab illis suscepta tractum per tot annos bellum constat esse finitum, ut abiecto daemonum cultu et relictis patriis caeremoniis christiana fidei atque religionis sacramenta susciperent et Francis adunati unus cum eis populus efficeretur.* Poeta Anonym. ad a. 803. l. IV. de gestis Caroli M.

Nobilis hic annus longi certamina belli

Tandem Saxones inter Francosque peracti

Firme perpetuae conclusit foedere pacis

Augustus pius ad sedem Salz nomine dictam

Venerat, huc omni Saxonum nobilitate

Collecta, simul has pacis leges inierunt etc.

Quo tempore facta est etiam Saxonum transportatio in Franciam. cf. Annales Eginhardi ad a. 804. Eginhard. in Vita Caroli M. c. 7. *Usque dum omnibus, qui resistere volebant, profligatis et in suam potestatem redactis, decem hominum millia ex his, qui vtrasque ripas fluminis Albis incolebant, cum uxoribus et paruulis sublatis per Galliam. et Germaniam multimoda diuisione distribuit. Regino l. II. ad a. 804. Aestate vero in Saxoniam cum exercitu perrexit, omnesque qui trans Al-*

biam in Wibmodi habitabant Saxones cum mulieribus et infantibus transtulit in Franciam et pagos transalbianos Abotritis dedit Annales Francor. Fuldens. ad eund. an. Carolus Saxones Transalbianos cum mulieribus et natis transtulit in Franciam et pagos transalbianos Obotritis dedit. Et iam ante bellum finitum transportationem Saxonum factam fuisse testatur locus Annal. Fuldens. ad a. 794. *Saxones in Sinitfelde congregati a Carolo subagi sunt et tertius ex eis homo translatus.*

h) a. 782. iam fuisse comites in Saxonia a Carolo M. constitutos, innuit locus fragmenti Annal. Francor. ad a. 782. *Habuit Carolus Rex conuentum magnum exercitus sui in Saxonia ad Lippinbrunnam et constituit super eam ex nobilissimis Saxones genere comites.* Et Capitulatio, de Partib. Saxon. ap. Georgisch. p. 578. a Stephano Baluzio aliisque refertur ad an. 788. v. eum p. 324. in Capitularr. Regum Francorum, licet sint, qui credant, annum, quo lata sit non certo definiri posse v. g. Heineccius Histor. Iur. Germ. §. 35. Caeterum Stephani Baluzii rationes non tam firmae esse videntur, vt omnem penitus tollant dubitationem. Capitulare praeterea Saxonum datum Aquisgrani etiam ante bellum penitus confectum et vti constat a. 797. latum est.

§. VI.

Quamquam vero victi Saxones clementiae et fidei viatoris Caroli M. se suaque omnia sunt permittere coacti; aequas tamen pacis conditiones acceperunt, atque libertate donatos esse, scriptorum loci et legum docent ita, vt vere dubitare haud liceat.^{a)} Nullus nobis hic obiiciat legum severitatem, quam quoad rem ecclesiasticam non negamus,^{b)} quoad caetera negotia recte intelligendam et interpretandam putamus.^{c)}

a) Laudo primo Eginhardum loco supra commemorato: *ut abiectione daemonum cultu et relictis patriis caeremoniis christiane fidei atque religio-*

religionis sacramenta susciperent et Francis adunati unus cum eis populus efficeretur. Poeta Anonym. ad a. 803. paullo copiosius

Vt toto penitus cultu rituque relicto
Gentili, quem daemoniaca prius arte colebant
Decepti, post haec fidei se subdere vellent
Catholicae, Christoque Deo seruire per aeum.
At vero censum Francorum regibus ullum
Soluere, nec penitus deberent atque tributum
Cunctorum pariter statuit sententia concors.

Et paullo post

Hoc sunt postremo sociati foedere Francis
Vt gens et populus fieret concorditer unus,
Ac semper regi parens aequaliter vni.

Wittichindus Annal. I, p. 634. Ob id, qui olim socii et amici erant Francorum iam fratres et quasi una gens ex Christiana fide veluti modo videmus, facta est. Adde Adamum Bremens. l. I, c. 7. Illorum libertas etiam satis patet ex legibus, quas Carolus M. illis dedit. Hoc sane insigne est libertatis indicium, quod ipsi nobiliores Saxones sint adhibiti, cum illae conscriberentur. Id autem satis docet et inscriptio capitularis dati Aquisgrani a. 797: *regnante domno Karlo — — congregatis Saxonibus de diuersis plagiis tam de Westfalabis et Angrariis, quam de Ostfalabis, omnes unanimiter consenserunt et aptificauerunt etc. etc.* et ipsi articuli huius capitularis 2, 3, et 9. Porro si leges violarant in nonnullis caussis eandem, quam Franci, subierunt poenam. Ita enim laudat. capitul. art. 2. constituitur: *Si quis supra dicta VIII. capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt et aptificauerunt, ut Saxonessimiliter sicut et Franci LX. solidos componant.* Initio huius saeculi libertatem Saxonum a Carolo M. impetratam imprimis ostendere elaborauit Adolph. Meindersen in Vindic. libertat. Saxon. et iusta explicatione diplomatis Carolini Truttmanno Comiti praetense dati Lemgou. 1711. Profecto si hoc diploma genuinum esset, multa ex eo possent hauriri ad illustrandam patriae historiam, et quamquam eo usus est Meindersen, indeque multa consequenter falsa occurrunt, quae hoc nituntur diplamate, tamen non omnia, quae in hoc commentario continentur, sunt spernenda. Suspectum vero nullaque fide dignum esse commemoratum diploma aliquantulum ostendit Gryphiander de Weichbildis

Saxon.;

Saxon.; copiosius et clarus *Ioh. Georg. ab Eccard* Commentar. de Reb. Franc. Oriental. T. I. p. 736. Sed misso facto diploma te falso, manet tamen salua libertas Saxonum tot et tam apertis locis scriptorum melioris notae confirmata.

- b) Etenim nonnulli hic dicunt se conciliare non posse duritiem legum cum hac libertate. Sed primum quod ad legem Saxonum attinet (quae seuera et dura omnino est) tamen eius seueritas potest nullo modo Carolo M. tribui, qui eam legem non dedit sed tantum litteris consignari et in ordinem redigi iussit, et pauca adiecit. v. *Hermann. Conring.* de Orig. Iur. Germ. c. 13. Seueris autem legibus hanc gentem semper fuisse vsam, iam supra diximus. Deinde leges Saxonibus datae a Carolo M. et capitulatio de partibus Saxon.; et Capitulare datum Aquisgrani continent sane seueras poenas, quae iis imponi debebant, qui rursus idololatriam fuerint amplexi. Nonne vero id necessarium erat, cum illa gens ita saepe fidem violasset et tam pertinax sacrorum priorum esset?
- c) Ex more temporum hominumque leges semper sunt interpretandae atque poenae legum diiudicandae. Ipsi Franci profecto non mitibus legibus sunt vsi, vti videre est ex legibus et capitularibus. Quin Saxonibus in nonnullis rebus non grauiores poenae sunt quam Francis impositae cf. Capitular. Aquisgran. a. 797. l. c. art. 2. et 3. Item placuit omnibus Saxonibus, vt ubique Franci secundum legem XII. Solid. soluere debent, ibi nobiores Saxonnes Sol. XII.; ingenui V. liti IV. componant.

§. VII.

Administrationem vero Saxoniae post hoc bellum Carolus M. comitibus dedit.^{a)} Neque id mirum cum ille ex politicis rationibus maximos Ducatus in comitatus distribueret.^{b)} Comites in regno Francico iam sub regibus stirpis Merouingicae occurrunt.^{c)} Habuerunt varia nomina,^{d)} et id sine vlla dubitatione inter alia caussa fuit, vt eorum explicatio tam incerta sit tamque fluctuans.

a) Sunt

a) Sunt nonnulli et inter eos in primis *Philippus Theodor. Verportenius* in *Oratione de Ducatibus in veteri German. regno hereditariis*, (Coburg, 1707.), qui demonstrare conetur, duces Germaniae non esse e magistratibus et praefectis ortos, sed e regibus iusque proprium et hereditarium in suis prouinciis ac regnis antiquitus habuisse; sed pleraque *Verportenii* argumenta nituntur male explicatis atque vexatis scriptorum apertis locis; nullam legem laudavit et saepissime nulla testimonia scriptorum; satisque illi videtur, negasse, vti animaduerti p. 6. vbi scribit: *Formulae et Comitiae — inter Cassiodori Varias — buc nullo modo pertinent. Quam ex Marculpho affert Pithoeus de Palatinis — quaeque est XXXII. inter Marculphi formulas in Cod. LL. Antiquar. Fr. Lindenbrogii neque ad Germaniam omnem spectat, neque ad nationum Duces neque nobis vlla in re aduersatur. Venantii Fortunati Carmina et Hincmari verba — neque ad Germaniae statum neque ad Duces proprie pertinent.* Sed rationes, ob quas haec omnia contemnenda existimat, omisit. Si vero totam disputationem et in primis dedicationem accurate legis, animaduertes, eum ideo tam anxie in eo laborasse, vt principes Germaniae augustiores faceret sed hoc profecto auxilio non indigent, cum status politicus Germaniae penitus mutatus sit, habeantque per pacta fundamentalia eiusmodi iura atque regalia, quae eos satis augustos faciant. Comitibus itaque administrationem Saxoniae esse permisam affirmamus; eos vero interdum duces vocari, in sequentibus statim patet. Laudo primum Capitulationem de Partib. Saxon. ap. Georgisch p. 554. art. 29. *Vt uniuersi Comites pacem et concordiam ad inuicem habere studeant — art. 30: Si quis comitem interficerit — art. 31. Dedimus potestatem comitibus — art. 34. Sed unusquisque Comes in suo ministerio placita et iusticias faciat — art. 24. et 28.* Poeta Anonym. ad a. 803.

Tum sub iudicibus, quos Rex imponeret ipsis
Legatisque suis, permissi legibus vti
Saxones patriis, et libertatis honore.

Deinde comitum Saxoniorum apertam faciunt mentionem Annales Eginhardi ad a. 815.: *Tunc omnes Saxonici comites cum legato imperatoris Balderico — ad auxilium Henniholti ferendum — peruenierunt. Vita Karoli M. ab auctore incerto ad a. 807 (ap. Schilterum T. I. p. 62.): Est autem locus super ripam Sturia flumi-*

nis vocabulo Effelfeldt et occupatus ab Aegberto et comitibus Saxonicis et muniri coeptus est.

- b) Caussa est in promptu. Carolus enim vehementer verebatur, ne duces ob amplitudinem prouinciarum potentia in dies crescerent et ad postremum periculosi essent regno Francorum v. plur. ap. *Hadrian. Vales.* l. XVIII. Rer. Francic. ad a. 623.
- c) Ut enim ad antiquiora tempora non recurramus, prohibet instituti ratio et limites praescripti. Illi comites erant magistratus subordinati ducibus atque ius per pagos prouinciarum dixerunt tam in ciuilibus, quam in ecclesiasticis cauissis. cf. *Hincmari* epistolam IV, c. 14. *Lehmanni Chronicon.* Spirens. l. II, c. 16. Nonnunquam etiam ingruente bello exercitui praefuerunt, notante id Paullo Diacono l. V. c. 14. de gestis Langobard. et ex eo *Herm. Conring.* in Exercit. Academ. de Ducibus et Comitibus S. R. I. §. XI.
- d) Nominantur saepenumero Marchiones, cum comitatus haberent prope fines exterarum nationum limitesque eius contra earum irruptiones defendere cogerentur. Capitulare quartum regum Francorum incerti anni art. V. ap. *Georgisch.* p. 803.: *De illis hominibus non recipiendis a Marchionibus nostris, qui seniores suos fugiunt pro damna, quae eis facta habent.* Falsi itaque sunt, qui putant nomen marchionis demum aetate Henrici I. ortum esse, quod etiam vidit *Hertius* in Notit. Regni Francor. Veter. §. 23. Dicuntur et Grauiones et iudices fiscales. cf. Leg. Ripuar. tit. 53. *De eo, qui Graftonem interficerit.* Si quis iudicem fiscalem, quem comitem vocant, interficerit etc. Dicuntur et iudices simpliciter a iudicando cf. Poetam loc. not. a) cit. et Gregor. Turonens. l. VII, c. 47. Denique a nonnullis scriptoribus nominantur duces, ab eo, quod rei bellicae et militibus in suo Comitatu praeesserent. Quis porro harum rerum peritus ignorat vocem regis, reguli, ducis, principis atque comitis sexcenties apud scriptores medii aeui confundi, qui proprietatem verborum vti et mutationes in republica parum curantes non semper accurate haec nomina distinxerunt. Caeterum, qui plura nosse cupit de nomine horum comitum, euoluat *Lehmanni Chronicon* Spirens. l. II, *Carol. du Fresne* in Glossar. voc. Comitis, *Herm. Conring* in laudat. disput.

Nicol.

Nicol. Hertium Notit. Regni Fancor. Veter. c. 5. §. 23. vt et in Comment. de Origine et progressu spec. I. R. G. Rerumpublic. §. 2.

§. VIII.

Munus Comitum versabatur potissimum in iure dicundo caussisque ciuilibus dirimendis.^{a)} Habebant collegium Assessorum, qui nominati sunt Scabini.^{b)} Inde etiam certis mensibus placita tenuerunt.^{c)} Praeerant porro in suo comitatu rei bellicae^{d)} curamque pecuniae, fisco inferendae,^{e)} gerebant.

a) cf. Capitular. tertium a. 812. art. 12. p. 769. *Vt unusquisque missorum nostrorum in placito suo notum faciat comitibus, qui ad eius missaticum pertinent, ut placita faciant, tam ad latrones distingendos, quam ad caeteras iusticias faciendas* Capitular. I. a. 802. art. 25. p. 637. *Vt Comites — ad iustitiam faciendam compellant et iuniores tales in suis ministeriis habeant, in quibus securi confidant, quia legem atque iustitiam fideliter obseruent etc.* Capitular. anni 813. art. 11. p. 779.: *Vt comites, unusquisque in suo comitatu carcerem habeant.* cf. Capitular. 6. a. 803. p. 675.

b) Scabini vt adessent cum iudicaret comes eumque in iudicando adiuuarent, necessario requirebatur Capitul. 3. anni 803. art. 20. p. 667. *Vt nullus ad placitum banniatur, nisi qui caussam suam quaerit, aut si alter ei quaerere debet, exceptis Scabinis septem, qui ad omnia placita praeesse debent.* Quamquam vero numerus septenarius in illo capitulari inuenitur, tamen constat in eo esse variatum. Ele^tio horum Scabinorum siebat a legatis s. a missis Dominicis. Capitul. 3. an. 803. artic. 3. *Vt Missi nostri Scabini — per singula loca eligant et eorum nomina, quando reuersi fuerint, secum scripta deferant,* cf. L VI. Capitular. artic. 218. p. 1556. Caeterum illi, qui plura nosse de Scabinis cupit, commendanda est erudita Friderici Brummeri Lips. exercitatio Historico-Philolog. de Scabinis antiquis, aeui medii et recentioribus.

c) Ob ius dicendum caussaque dirimendas, omnibus mensibus, exceptis Ianuario, Aprili, Iulio et Octobrio, quibus ipsi missi Dominici placita haberent, Capitul. I. III, art. 83. p. 1364.

E 3

d) Eorum

- d) Eorum enim officium erat conuocare homines in comitatu ad bellum simulque inquirere in eorum armaturam. Capitular. 2. ann. 813. p. 778. art. 9. *De hoste pergendi, vt comiti in suo comitatu per bannum vnumquemque hominem per sexaginta solidos in hostem pergere bannire studeat, vt ad placitum denunciatum ad illum locum, ubi iubetur, veniant. Et ipse comes praeuideat, quomodo sint parati, id est lanceam, scutum, cum duabus cordis et sagittis duodecim etc.*
- e) Vnde in lege Ripuariorum loc. commemorato nominantur iudices fiscales cf. Capitul. Caroli M. de villis, passim et Marculphum in formular. l. I. p. 18. Ad extremum ut officium comitum plenius intelligatur adscribam locum insignem ex formulis Marculphi l. I. p. 18. *Charta de ducatu, patriciatu, vel comitatu: nec facile quilibet iudicariam conuenit committere dignitatem, nisi prius fides et strenuitas videntur esse probatae. Ergo cum et fidem et utilitatem tuam videmur habere conspectam, ideo tibi actionem comitatus in pago illo, quem antecessor tuus usque nunc visus est egisse, tibi ad agendum regendumque commisimus. Ita ut semper erga regimen nostrum fidem illibatam custodias et omnes populi ibidem commanentes sub tuo regimine et gubernatione degant et modarentur, et eos recto tramite secundum legem et consuetudinem eorum regas, viduis et pupillis maximus defensor apprens, latronum et malefactorum scelera reprimantur, et populi bene viuentes sub tuo regimine gaudentes, debent consistere quieti et quicquid de ipsa actione in fisci ditionibus speratur per vosmet ipsos annis singulis nostris aerariis inferatur.*

§. IX.

Cum autem Comites ob multitudinem rerum parum ipsi sufficerent; ^{a)} habebant suos vicarios, qui eos subleuarent in dirimendis caussis aliisque negotiis. ^{b)} Qui nominantur et Vice Comites, et vicarii comitum. ^{c)} Erat porro quilibet comitatus diuisus in Centenas, quibus erant praepositi iudices centenarii. ^{d)} Centenae rursus descriptae, in Decanias quibus praerant iudices minores, qui vocabantur Decani. ^{e)}

a) Haec

- a) Haec enim vera causa esse videtur; non ea, vti sibi persuasit *Hertius Notit. Regni Francor. veter. §. 24. p. 250.*: *Quoniam semper comites* (ita ait) *essent apud principem.* Vir doctus videatur comitem palatii non distinguere a comite prouinciali, cuius praesentia requirebatur in comitatu, vti ex legibus et Capitularibus Francorum fatis patet. Elgebant et ipsi comites sibi vicarios, quod testatur *S. Agobardus* in epistola ad Matfridum.
- b) De eorum iurisdictione *Walafridus Strabo* in libro de Reb. ecclesiast. c. vlt. ita scribit: *Eiusmodi vero vicariorum comitum iurisdictio erat tantum in leuioribus, non vero in maioris momenti aut criminalibus caussis, cum eae ad comitem ipsum spectarent, qui nomine regio ius dicebat.* Vt Comites non ciuitati duntaxat sed et toti pago ciuitati adiacenti praefecti erant, ita et vice Comitum munus et iurisdictionem ad totum pagum pertinuisse, ex Hincmaro aliisque docet *Carl. du Fresne Glossar. vocabul. Vicarius. Capitula, quae ap. Georgisch. p. 668. extant:* *Vt Comites vel Vicarii eorum legem sciant, vt ante eos iniuste quis nemini iudicare possit, nec ipsam legem mutare.* cf. etiam Capitular. 5. anni 803. art. 18. et 19. p. 674. De virtutibus, quae requirebantur ab eo, qui hoc munus ambiret, locus occurrit in capitulo. 2. anni 805. art. 12. p. 698. *Vt — tales elegantur, quales et sciant et velint iuste caussas discernere et terminare.* Eadem verba inuenies in capitulo. 4. anni 805. art. 12. p. 712. Diximus initio notae ex auctoritate. Walafridi Strabonis hos vicarios de caussis maioris momenti numquam iudicasse. Ita nisi praesente Comite aut Missis dominicis iudicium de libertate exercere non potuerunt. Sic verba Capitularis 1. a. 810. art. 2. p. 747. *Vt ante Vicarium de proprietate aut libertate iudicium non terminetur aut adquiratur nisi semper in praesentia missorum imperialium, aut in praesentia comitum.* Ita etiam eorum iurisdictioni erat exemptum iudicium de rebus et mancipiis. Capitular. 2. a. 810. art. 15. p. 750. *De rebus et mancipiis vt ante vicarios non conquirantur.* Locus vero classicus, ex quo certe colligere possumus leuiores tantum caussas a vicariis esse iudicatas, est procul dubio in LL. Caroli M. lex 69. p. 1150. *Vt ante vicarios nulla criminalis actio diffiniatur, nisi tantum leuiores caussae, quae facile possunt iudicari etc.* Non autem vicarios in iure dicundo solum subleuasse comites, sed etiam in colligendis tributis, testatur locus in Addit. 4. Capitul.

art. 116. p. 1828.: *Quicunque Vicarii — tributum, quod Inferenda vocatur, maioris pretii a populo exigere praesumferit, quam a Missis bonae memoriae genitoris nostri constitutum fuit, — ministerium amittat.* Cum locis legum consentiunt Scriptores. Hincmarus in epistol. p. 377. *Et requisito et non inuenio aduocato illius, qui de eius capite ex praedicta caufsa redderet rationem excepta ecclesia, et episcopi domo ac clericorum clauſtro quicquid de rebus acceperint iuſſione vestrā per Vice Comitem ipsius pagi in bannum eſt missum.* ap. eund. p. 224. Comites et Vicarii plurima placita constituunt, v. etiam Gregor. Turonens. l. X. Hist. c. 5.

- c) Ita nominantur in Legibus Caroli M. lex 72 et 73. de mancipiis, quae venduntur, ut in praesentia - - - sint vendita vice comitis. Vicarios Comitum eos nominant Leges et Capitular. passim et Hincmarus l. c. p. 227. *Huius gloriosae domus decorum Dei fidelissime diligere debent regum Comites in ciuitatibus suis et comitum vicarii in plebis suis, vbi vox plebis significat locum, in quo vicarius iudicabat cf. Carolum du Fresne Glossar. voc. Plebis.*
- d) Multi viri doctissimi sunt, qui putent centenarios aeuo Carolingico originem traxisse ab antiquissimo Germanorum instituto, cuius Tacitus meminit de Mor. Germ. c. 12. his imprimis verbis: *Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, concilium simul et auctoritas adsunt.* Hic putant, originem centenariorum esse ponendam. Quod nominatim fecerunt Schatenius in Histor. Westphal. l. V. p. 300. Herrmann. Adolph. Meindersen in diss. de iudiciis centenariis veterum Germanorum, Lemgou. 1715. Sed cum tota disputatio nitatur diplomate Truttmanno Comiti dato, de quo ad §. 6. not. a) dictum est; facile quis intelligere potest, non esse centenariorum originem ita explicatam, ut non multa possent contra dici. Plerique tamen Rerum Germanicarum peritissimi viri eandem, quam Meindersen tueri contendit, opinionem sunt amplexi. Cf. disp. laud. c. 2. Alii contra sunt qui hoc pro commento reiecerunt, Tacitique locum emendare sunt conati, v. c. Kirchmeiers in notis ad cap. 12, qui ait: *Restituendum vero reor: Certi singulis ex plebe comites etc.* Quem secutus, vberius id demonstravit Frid. Brummerus, in Disp. de Scabinis medii aevi §. 5. sqq. neque illi plane aduersatus fuit princeps iurisprudentiae publicae Herzn. Conring. in Exercit. de Duci-

Ducibus et Comitibus Reipubl. German. §. 7: *Centeni forte scribendum septeni.* Cum illo consentit Pottgiesserus de statu et conditione seruorum l. III, c. 8. qui etiam pro: *Centenis* legendum esse *Certi* existimat. At enim vero si vere volumus originem centenariorum ab antiquissimis temporibus repetere; necessarium erit, ut doceamus, centenarios aevo Carolingico in maximis rebus conuenire cum illis Centenis Taciti comitibus. Cum autem nemo vetustorum accuratam fecerit mentionem centenariorum veteris Germaniae; nec a quadam similitudine, quae inter hos et illos intercesserit, statim possimus certo colligere, idem genus centenariorum et antiquissimis et recentioribus temporibus fuisse: apparet, ex vtraque parte nihil posse certi definiri, proferri tantum coniecturas, quibus confirmandis et aliis opus est. Singuli Comitatus diuisi erant in centenas, centena vero erat pars comitatus cui praeerat iudex, nomine Centenarii insignitus. Locum antiquissimum, in quo fieret centenae mentio, putauit *Carolus du Fresne* esse in decretione Clotharii II. anni 595. art. 1. ap. Georgisch. p. 477: *Decretum est, vt quia in vigiliis constitutas, nocturnos fures non caperent, eo quod per diuersas intercedente conludio felera praetermissa custodias exercerent, centenas fieri. In qua centena aliquid deperierit etc. etc.* Ex verbis *Centenas fieri*, protulit coniecturam: originem centenarum esse ad tempora Regis Clotharii II. referendam. Sed si quis totum locum accurate cognouerit, videbit verba: *Centenas fieri* non satis definire originem centenariorum. Accedit, quod in decretione Childeberti, (quae licet circa eundem annum sit lata, tamen antiquior est illa Clotharii II) fiat mentio centenae non tanquam nouissime, sed iam constitutae. Audiamus verba huius decretoris ap. Georgisch. p. 476. artic. 11. *Similiter conuenit, vt si furum factum fuerit, capitale de praesenti centena restituat et cauſſator Centenarium cum centena requirat.* art. 12. *Pari conditione conuenit, vt si una centena in alia centena vestigium secuta fuerit et inuenierit vel in quibuscumque fidelium nostrorum terminis vestigium miserit, et ipsum in aliam centenam minime expellere potuerit, aut coniunctus reddat latronem, aut capitale de praesenti restituat et cum duodecim personis se ex hoc sacramento exuat.* Et hoc satis fit de dubia atque incerta origine centenariorum disputasse; progredimur nunc ad eorum munus et officium aevo Carolingico.

Prī
mam

mum nulli hoc munus traditum fuit, nisi legis perito, viro bono, probo atque iusto. Lex Caroli M. 22. p. 1139: *De Centenariis prauis ut tollantur et tales elegantur, qui sciant et volunt iustitiae caussam discernere et determinare — Centenarii — quales meliores inueniri possunt, et Deum timentes constituantur ad sua ministeria exercenda.* cf. Capitularia Caroli M. pasim. In Capitular I. V. art. 260. p. 1470 occurrit insignis locus, quo, ad leges rite cognoscendas adhortantur: *Vt Comites quoque et Centenarii et ceteri nobiles viri legem suam pleniter discant, sicut in alio loco decretum est.* Iurisdictio vero eorum in centena non late patuit. Habuerunt quidem placita h. e. conuentus, in quibus tamen de minoribus modo caussis est iudicatum. Lex Caroli M. 36. p. 1144: *Vt nullus nemo in placitum centenarii, neque ad mortem neque ad libertatem suam amittendam, aut res reddendas vel mancipia iudicetur.* etc. Eadem verba in Capitular. I. a. 810. art. 2. p. 747. Ludouici Pii lex. 41. p. 1212: *Ad caetera vero placita, quae centenarii tenent, non aliis venire iubeatur, nisi aut qui litigat, aut qui iudicat, aut qui testificatur* etc. De omnibus itaque contiouersiis priuatorum iudicare potuerunt, excepta tamen causa de restitutione terrae et mancipiorum, quae non nisi coram comite definiri poterat. Capitular I. IV. art. 26. p. 1376. - - - *Omnis contiouersia coram Centenario definiri potest excepta redditione terrae et mancipiorum, quae non nisi coram Comite fieri potest.* Nec in iudicando solum centenariorum munus versabatur, sed etiam illis impositum fuit, vt prouiderent, ne latrones infestarent centenas, vtque si qui graffarentur, eos comprehendendos curarent. cf. decretionem iam commemoratam Clothar. II. a. 595. art. 11. et 12; Capitular. I. IV art. 63. p. 1385. *Vt vica-rii vel centenarii, qui fures et latrones vel celauerint vel defende-rint secundum sibi datam sententiam diiudicentur.* cf. leg. 94. Ludouici Pii p. 1213. Denique sicuti officium Comitis versabatur circa rem militarem, ita et centenarii, bello ingruente homines in sua centena ad expeditiones bellicas conuocare, sese cum iis ad exercitum conferre, illique ibidem praeesse atque vigilare, ne quis de sua centena, vel domi maneret, vel clam ex bello fugeret atque sese domum conferret. Quid si ipse centenarius aut domi maneret, aut de exercitu fugeret, capitalem poenam subiuit. Lex Wisigothica I. 9. tit. 2. art. 3. p. 2113: *Si quis Centenarius dimit-*

dimitens centenam in hostem, ad domum suam refugerit, capitali supplicio subiacebit. — Et si centenarius sine conscientia aut voluntate praepositi hostis — de centena sua ab aliquo pro beneficio persuasus aut rogatus, quemquam ad domum suam redire permiserit, vel in hostem, ut non ambularet, relaxauerit, quantum ab eo acceperit in nouecuplum Comiti ciuitatis, in cuius est territorio constitutus, satisfacere compellatur etc.

e) Nominantur etiam decuriones. Walafrid. Strabo in libro de Reb. eccles. c. vlt. *Decuriones vel Decani, qui, sub ipsis vicariis pagorum, quaedam minora, exercent, minoribus presbyteris titulorum possunt comparari.* Iudicarunt de controuersiis priuatorum minoribus v. g. de seruis et ancillis fugacibus. Laudo Pipini, Italiæ regis, Leges, leg. 10. p. 1108. *De seruis et ancillis fugacibus unusquisque iudex studium ponat ad perquirendum iuxta ut editum continet.* v. pl. Leg. Wisigoth. l. II. tit. 1. p. 1877: *Quoniam negotiorum remedia multimodae diuersitatis compendio gaudent, ideo — comes, — centenarius, decanus — et qui ex regia iussione, aut etiam ex consensu partium iudices in negotiis eliguntur — omnes, in quantum iudicandi potestatem acceperint, iudicis nomine censeantur ex lege: vt sicut iudicij acceperint iura ita et legum sustineant sive commoda sive damna.* confer. etiam Hincmarum epistola IV. in qua fit mentio placitorum horum Decanorum. Verba ita se habent: *Comites et Vicarii vel etiam Decani plurima placita constituunt.*

§. X.

Quemadmodum vero Comites praepositi erant vicariis, centenariis atque decanis, ita ipsis comitibus legati, qui varia habent nomina.^{a)} Mittebantur autem aulae proceres,^{b)} quolibet anno statis temporibus^{c)} a Rege in provincias, quas vel armis vel haereditario iure acceperat, ut in illis prouinciis in magistratum cum Clericorum tum Laicorum h. e. in Episcoporum, Abbatum, caeterorumque diuini verbi ministrorum et in comitum, vicariorum, centeniorum, decanorum et scabinorum vitam, mores administrationemque commissi illis muneris inquirerent^{d)}

F

eligen-

eligendorum magistratum inferiorum curam haberent, malos et officio non satisfacientes magistratus ex regia iufione et auctoritate tollerent, ^{e)} imperfecta et manca prouinciarum emendant, ^{f)} et vno verbo, vt res prouinciarum florentes efficere et securitatem atque felicitatem prouincialium augendam curarent. Ipsum etiam iuramentum fidelitatis a liberis hominibus nomine regis in prouinciis exegerunt. ^{g)} Denique etiam circa conscribendum militem eorum cura versabatur. ^{h)} Labor tamen illorum non sine praemio mansit. ⁱ⁾

- a) Dicuntur Missi, Missi Dominici, Missi imperiales, legati, conf. LL. et Capitularia passim.
- b) Quod ideo factum esse videtur, quoniam in primis mittebantur ad iusticias faciendas in prouinciis. Eos autem nullum muneribus donisque locum esse daturos, sed aequa lance iustitiam administratos, tuto poterat sperari. At enim vero haec sane gloria Carolum M. manet, omni cum modo in hoc elaborasse, vt iustitia rite sancteque coleretur. Lib. VI. Capitul. art. 212. p. 1555. *Qui filios non habuerit, et alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Rege vel coram Comite et Scabinis vel Missis dominicis, qui ab eo ad iusticias faciendas in prouincia fuerint ordinati, traditionem faciat.* Lex Caroli magni 51. *Vt nullus qui libet Missus noster — cuiuslibet iustitiam dilatare praesumat, si statim ad impleta potuerit esse secundum rectitudinem neque praemia proboc a quolibet homine per aliquod ingenium malum praesumat.* Ita etiam iis prae caeteris fuerunt commendatae causiae pauperum, ne a potentioribus opprimerentur. Addit. IV. Capitul. art. 115. *— Comites — et Missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur et nos taedium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint.*
- c) Verno Aprili, aestate Julio, auctumno Octobrio, hyeme Ianuario. Ita verba Capitular. 3. an. 812. p. 768: *Missi nostri legationes nostras exerceant in hyeme Ianuario, in verno Aprili, in aestate Julio, in autumno Octobrio etc.*
- d) cf. Capitul. I. an. 802. art. 40. p. 643.: *Nouissime igitur ex omnibus decretis nostris nosse cupimus in uniuerso regno nostro Missos nostros,*

nostros nunc directos siue inter ecclesiasticos viros, Episcopos, Abbatibus, Presbyteros, Diaconos, Canonicos, omnes Monachos siue sacerdotiales, qualiter unusquisque in suo ministerio vel professione nostra bannum vel decretum habeat conseruatum, vel ubi ciuibus ex his dignum sit, ex bona voluntate sua gratias agere, vel adiutoria impendere, vel ubi aliquid adhuc sit necessitatis, emendare. Simili autem laicos et in omnibus ubique locis etc. Capitul. an. 823. art. 23. p. 885. — *Volumus ut Missi nostri, quos ad hoc constitutos habemus, ut curam et sollicitudinem habeant, quatenus unusquisque, qui rector a nobis populi nostri constitutus est, in suo ordine officium sibi commissum iuste ac Deo placite ad honorem nostrum ac populi nostri utilitatem administret, in hunc modum cognoscendi diligentiam adhibeant etc.* cf. Capitul. laud. art. 26. p. 883.

- e) Confer Capitulare anni 829. p. 901. artic. 11. ubi praecipitur, *vt Missi malos Scabinos eiiciant. Ut missi nostri, ubique malos Scabinos inuenient, eiiciant, et cum totius populi consensu in eorum loco bonos eligant.* In Lotharii primi legibus lex 48. idem locus occurrit. Et de eligendis magistratibus Capitul. III. a. 803. c. 3. p. 664. *Ut Missi nostri Scabinos, Aduocatos, Notarios per singula loca eligant et eorum nomina, quando reuersi fuerint, secum scripta deferant.*
- f) v. g. falsam monetam, consuetudines prauas et sic porro. Ea omnia belle illustrat Capitular. 5. anni 819. p. 853. sqq. de instructione Missorum, in quo multae res, Missorum curae demandatae commemorantur Capitul. 5. anni 806. art. 4. p. 728.: *ut praedicti Missi per singulas ciuitates et monasteria virorum et puellarum praeuideant, quomodo aut qualiter in domibus ecclesiarum et ornamentis ecclesiae emendatae vel restauratae esse videntur etc.* Ita etiam videre illos oportebat, ne beneficia h. e. terrae, quas viri nobiles ex nexu clientelari possidebant, vel deprauarentur vel corrumperentur. Capitul. anni 807. art. 7. p. 736.: *Volumus itaque atque praecipimus, ut Missi nostri per singulos pagos praeuidere studeant omnia beneficia, quae nostri et aliorum homines habere videntur, quomodo restaurata sint post annunciationem nostram, siue destruta.* — *Similiter et alia beneficia casas, cum omnibus appendiciis earum et laboratu siue adquisitu, vel etiam quid unusquisque, postquam hoc facere prohibuimus, in suum aludem ex ipso beneficio duxit, vel quid ibidem exinde operatus est.*
- g) Capitul. Regam Francor. art. 4. p. 910. *Volumus, ut Missi nostri per totam legationem suam, primo omnium inquirant, qui sint de liberis hominibus, qui fidelitatem nobis nondum promissam habent et faciant*

faciant illos eam promittere, sicut consuetudo semper fuit etc. p. 759.
adde capitulare tert. anni 812. artic. 13. p. 770.

- h) *Capitul. I. an. 872. art. 2. Volumus atque iubemus, ut iidem missi nostri diligenter inquirant, qui anno praeterito de hostie banita transiissent super illam ordinationem, quam modo superius comprehenso de liberis et pauperibus hominibus fieri iussimus, etc.*
- i) *Etenim in prouinciis acceperunt aliquid salarium, quod leges et capitularia nominant, coniectum. Capitul. 5. anni 819. art. 26. p. 861. Ut Missi nostri, qui vel Episcopi, vel Abbates, vel Comites sunt, quandiu prope suum beneficium fuerint, nibil de aliorum conjecto accipiunt. Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiunt secundum quod in suo tractorio continetur etc. cf. etiam art. 29. Multa potuisse addere, sed plurima iam occupauit Carolus du Fresne Glossar. voc. missorum.*

§. XI.

Origo iudicii Vehmici etiam ad haec tempora refertur, a Carolo M. sicuti aiunt instituti ad Saxones in fide vera retinendos. Multa de his iudiciis scripta atque disputata sunt, ex scriptoribus antiquis et coaeuis nullus eorum mentionem fecit. Primus scriptor, qui horum iudiciorum meminit eorumque constitutionem Carolo M. adscribit, est Henricus de Heruordia,^{a)} quem deinceps alii secuti sunt. ^{b)} Recentiores in duas partes discesserunt. Sunt alii, qui hoc institutum nullo modo Carolo tribuant, ^{c)} sunt alii, qui contrariam sententiam omni ratione tueantur. ^{d)} Res manet et forsitan etiam manebit dubia atque incerta.

- a) Seu Henricus de Eruordia, qui vixit Seculo XIV. sub Carolo IV. cuius verba extant ap. Meibom. de Ermensula c. 12.
- b) Gobelinus Persona, qui vixit sub Sigismundo Imp. quem non nulli e recentioribus, qui de his iudiciis commentati sunt, omiserunt, duobus locis in Cosmodromio, horum iudiciorum meminit aet. 1. c. 5. p. 67. et aet. 2. c. 4. p. 81. Eiusdem seculi scriptor est Iohannes de Francfordia in Tractatu: contra Scabinos occulti iudicii Feymeros appellatos, quem Freherus edidit, qui eadem tradidit p. 23. Hunc excipit Aeneas Sylvius scriptor Saeculi XV, qui vixit sub Friderico III. in libro. de Statu Europ. c. 29.

in

in collect. script. R. G. Freheri tom. II: qui de modo procedendi in illis iudiciis, de assessoribus nonnullaque alia tradidit. Post hunc eorum sit mentio apud Wernerum Roleuincium de antiquor. Saxon. sit. et mor. l. II. c. 6. ap. Leibnitium in Collect. S. R. Brunsuicens. T. III. Eandem rem diuersis tantum verbis tradiderunt Scriptores Secul. XVI. vt Ioannes Auentinus, Cuspiianus, aliique, quorum locos exhibit Meibomius l. c. Initio Sec. XVII. Ioh. Leznerus in Historia Caroli M. germanice edit. Hildesiae 1603 nonnulla antea non memorata addidit. Eodem Seculo Marquardus Freherus commentariolum edidit de occultis Westphaliae iudiciis, qui Helmstadii fuit recusus; ille tamen nihil certi affirmare audet.

- c) Primus, qui ab antiquorum sententia discessit, est Iohannes Gryphiander iu tractatu de Weichbild. Saxonie. Francofurt. 1625 edito, quem secutus fuit Hermann. Conring. in Exercitat. de iudiciis Reipubl. German. et illustr. Thomasius in Diff. de vera origine, natura, progressu et interitu iudiciorum Westphalicor. Hal. Magdeb. recusa 1732 aliique.
- d) Hanc sententiam plerique recentiores sunt amplexi. Commendandum est in primis scriptum eruditum: *Freisleben* Versuchte Be staettigung der alten Meynung, dass die heimlichen Gerichte in Westphalen von Carln dem Grossen gestiftet worden, quod extat in parte III. Commentarior. Societ. Lipsiens. edita 1756, qui etiam doctam syllogen praemisit de scriptoribus ad hanc rem pertinentibus, quam nostris lectoribus, si plures scriptores noscere cupiunt, commendamus.
- e) Expensis probe prolatis ab vtraque parte rationibus, veram certamque originem iudiciorum non satis aperte explicatam esse existimamus. Destituunt nos testimonia Scriptorum antiquorum et coaeuorum ad sententiam, quae eam Carolo M. tribuit, confirmandam; destituunt nos testimonia, quibus patet recentius esse instituta iudicia. Est res historica, quam sine vlo antiqui scriptoris testimonio tamquam certam affirmare, temerarium nobis periculosemque esse videtur; coniecturis vero potius abundamus quam indigemus. Verosimilis tamen nobis ea videtur, quam protulit Freisleben c. l. §. 20. quae in primis nititur loco aliquo Grammaticae Theodiscae Caroli M. ab Ottfrido absolutae, quam protulit Tritthemius Polygraph. l. VI. c. 3. sed etiam contra hoc disputari potest.

§. XII.

Quamquam vero Saxones libertate donati, nullum sunt tributum dare postea coacti; tamen a multis et vectigalibus^a) non fuisse exemptos, docent aperti loci legum. Solutio etiam decimarum iis imposita fuit,^b) quod ex legibus et scriptoribus satis superque patet.^c)

a) Sunt, qui putent, Saxones praeter decimas nihil dedit, atque ab omnibus poenis pecuniariis fuisse liberatos. Laudant eam in rem verba poetae anonymi:

At vero censum Francorum regibus ullum
Soluere nec penitus deberent atque tributum
Sed tantum decimas diuina lege statutas
Offerrent - - - -

Quae verba vero ita interpretanda esse puto, Saxones praeter quam decimas nihil extraordinarie dedit Regi loco tributi. Cum autem eadem commoda, quae Franci, haberent, credibile fit, iisdem etiam incommodis fuisse vfos. Et quid dico de veris militudine, aperta sunt verba capitulationis de partibus Saxon. Capitul. 16, 19, 20, 21. et Capitul. Saxon. dati Aquisgrani 2, 3, 4.

b) Quod in vniuersum ad originem decimarum attinet iam obseruauit Nicol. Hertius in Notit Regni Francici veteris ex Rigaltio: ante Cypriani tempora nullam decimarum dandarum fuisse obligationem. Apud Francos non longe ante tempora Caroli M. decimas coepisse tribui nonnulli existimarent. Sed Carolus du Fresne in Gloffar. voc. *decimae* eos satis superque refutauit, ostenditque ex constitutione generali Clotharii c. 2. et ex concilio Matisonensi secundo an. 585. c. 5. omnino id falsum esse, quem consule. Quod ad originem decimarum in Saxonia ex quo maxima ex parte fuit subiugata, attinet; videtur accidisse post annum 785. siquidem in capitulatione de Partibus Saxoniae c. 17. Similiter secundum mandatum praecepimus, ut omnes decimam partem substantiae ac laboris sui ecclesiis et sacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui similiter et liti, iuxta quod dederit Deus unicuique Christiano, partem Deo reddat. Frequens autem in capitularibus admonitio fit, ut diligenter dentur decimae. Sic v. g. l. V. Capitul. art. 173 p. Ad quos usus vero illae sint adhibitae, docent leges Caroli M. lex 95. p. ut *decimae populi in quatuor partes diuidantur.* Prima pars episcopis detur, alia clericis, tertia pau-

pauperibus, quarta in fabrica ecclesiae. Eadem verba occurunt in Capit. II. a. 805. artic. 23. p. 702. Hanc vero distributionem ab Episcopis esse curatam, loci innuunt l. V. Capitul. art. 45. p. 619. *de decimis dispensandis, ut decimae in potestate episcopi sint.* Idem testatur additio tertia Capitul. art. 82. p. 781.

- c) cf. Capitul. de Part. Sax. et Capitul. datum Aquisgrani. Poetam anonymum et Adamum Bremensem.

§. XIII.

Constitutam rem ecclesiasticam fuisse in Saxonia omnibus ex testimoniiis scriptorum notum est.^{a)} Quatuor enim Episcopatus Carolus M. in Westphalia fundauit. Paderbornensem, Monasteriensem, Osnaburgensem et Mindensem, in Saxonia vero Hildesenensem, Halberstadensem, Verdensem et Bremensem.^{b)} Episcoporum vero officium versabatur in docendo,^{c)} in iudicando^{d)} aliisque nonnullis officiis,^{e)} et ex iis eorum dignitas satis superque patet. Habuerunt suos aduocatos^{f)} ad defendenda bona ecclesiae.

- a) Verba Poetae ita sese habent

- - - ac praesulibus parere studerent
Ipsorumque simul clero, qui dogmata sacra
Quique fidem Domino placitam ritumque docerent

- b) cf. Adam. Bremens. l. I. Histor. eccles. c. 10. et auctorem magni chronici Belgici, qui extat in Pistorii collectione T. III. qui p. 42. ex Alberico haec narrat: *In Westphalia Carolus Rex quatuor episcopatus Paderbornensem, Monasteriensem, Osnaburgensem et Myndensem, ut alios quatuor erexit in Saxonia Hildesenensem, Halberstadensem, Verdensem quoque et Bremensem.* Chartam Episcopatus Osnaburgensis Miraeus in Collectione donationum piarum p. 48. exhibet. Constitutionem de fundatione episcopatus Bremensis de an. 789. seruauit nobis Adamus Bremensis l. c. De fundatione vero Episcopatus Verdensis edidit diploma ex Archiuo Verdensis episcopatus, Hermann. Conring. in annotat. ad librum de Finibus S. R. I. G. De fide tamen horum dipl. disputatur inter doctos v. Baringii bibliothecam Dipll. p. 29-53.

- c) Tempore Francorum voc. *Episcopilate* patuit v. Carolum du Fresne Glossar, voc. *Episcopus*, ut nempe populum sacrorum dogmatum igna-


ignaruni et rudem fidem Catholicam docerent. Laudo leges Caroli magni leg. 57. p. 1128. *Volumus, atque iubemus ut Episcopi suum in omnibus iuxta vires suas peragere studeant ministerium in parochiis eorum: Et praedicationes et confirmationes ibidem expleant.* Adde l. II. Capitul. art. 4. p. 1326. Ita iis etiam vehementer commendatur in capitularibus, ut cum doctrina bonam viuendi rationem coniungant.

d) Iurisdictionem epim in suis parochiis exercuerunt et de causis clericorum iudicauerunt cf. Leges Caroli M. L. 136. p. 1169. *ut si clerici aliquod negotium habuerint, a suo episcopo iudicentur. Nam non a secularibus;* ut nec Monachus nec Clericus in secularia negotia transeant.

l. V. Capitul. art. 378: *Nemo audeat Clericum aut Monachum vel sanctimonialem feminam ad civile iudicium accusare, sed ad Episcopum.* Neque magis Episcopi potuerunt a Laico iudicari, sed exempti omni Coenitum iurisdictione, a clero tantum iudicabantur. Confer capituloaria passim.

e) Electio et Abrogatio cleri illis subiecta erat l. I. Capitul. art. 84. p. 1309. *stitutum est, ut sine auctoritate vel consensu Episcoporum Presbyteri in quislibet Ecclesiis nec constuantur nec expellantur etc.* Curam scholarum et monasteriorum habuerunt. Confer et Lehmanni Chronicum Spirensē l. II. c. XXXIII. et adde l. V. Capitul. art. 127. p. 1435. Ita etiam eos oportebat quolibet anno parochiam circumire eamque visitare Capitul. I. Caroli M. an. 769. p. 537. Habuerunt quilibet anno bis cum caetero clero concilia. Capitul. Regum Francor. art. 13.: *ut prouinciales episcopi, cum suo metropolitano bis in anno propter causas ecclesiae concilia celebrent.* Custodia thesaurorum ecclesia fuit etiam illis commissa l. I. Capitul. art. 117. p. 1317. *ut singuli episcopi diligentier considerent thesauros ecclesiasticos, ne propter perfidiam, aut negligentiam custodium aliquid degammis nut de vasis, vel de reliquo quoque thesauro perditum sit.* l. VII. art. 74. p. 1628.

f) Multa de iis in voce: *Aduocati summa cum eruditione congregavit Carolus du Fresne in Glossar.* Nos per Aduocatos Episcoporum intelligimus homines iurium peritos, quibus erat impositum, iura et bona ecclesiarum defendere, nomine episcoporum in iudicio adesse, et si res postularet, iusurandum iurare actionemque in iudicio continuare et absoluere. In Capitul. Reg. Francor. art. 13. praescribitur, quales illi aduocati debeant esse: *ut Episcopi habeant aduocatos, leges scientes et iustitiam diligentes pacificosque et mansuetos.* In cap. 2. anni 813 et in Ludovici Pii legibus eadem verba reperies. Eligebantur vero Aduocati a Missis dominicis cf. l. III. Capitul. c. 31. et l. VI. c. 218. Potuissemus etiam nonnulla addere de vicariis episcoporum i. e. iis, qui episcopi absentis vel aegroti vices gererent et de centenariis episcoporum, qui plerisque cum aduocatis in LL. et Capitul. coniunguntur, sed cum tantum rem ecclesiasticam consideramus, quatenus vim habere potuerit in politiam Reipublicae, huic labori finem imponimus.



Coll. diss. A. 243, miss. 6